TRACTATUS

DE PAPA

DE CONCILIO ŒCUMENICO

D. BOUIX

TOMUS TERTIUS

PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE BIBLIOPOLAM

LECOFFRE FILIO ET SOCIIS, SUCCESSORIBUS

TRACTATUS

DE PAPA

III

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOC., VIA DICTA ERFURTH, 1.

TRACTATUS

DE PAPA

UBI ET

DE CONCILIO ŒCUMENICO

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE

TOMUS TERTIUS

PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

IN ANTIQUA PARISIENSI PERISSE FRATRUM DOMO

LECOFFRE FILIO ET SOCIIS SUCCESSORIBUS

VIA DICTA BONAPARTE, 90

—

1870

PROŒMIUM

§ 1. — An et quo sensu Romani Pontificis infallibilitas sit *personalis* et *separata*.

Non solent doctores, in suis de Romani Pontificis inerrantia disceptationibus, formulam illam *personalis et separatæ infallibilitatis* adhibere, aut expendere. Nec ego in duobus superioribus voluminibus quæstionem instituі, an legitima ejusmodi locutio censenda sit. Cum tamen nuper idipsum ad crisim vocatum fuerit, visum est hic paucis subnectere, quid de præfata formula sentiendum videatur.

Propositio I. — *Romanus Pontifex, etiam quatenus distinctus a reliquo Ecclesiæ corpore, est subjectum infallibilitatis.* — Hanc esse veram atque omnino tenendam doctrinam, evincunt tum sacræ Scripturæ textus, tum conciliorum ac traditionis documenta, tum sedis Apostolicæ definitiones in universa Ecclesia receptæ, quibus doctores Catholici adstruere solent Romani Pontificis

infallibilitatem. Nam hi textus, non tantum inerrantiæ prærogativam Romano Episcopo vindicant, sed simul apertissime hoc ei privilegium adscribunt, quatenus *personæ a reliquo Ecclesiæ corpore distinctæ*. Verbi gratia, verba hæc Christi: *Tu es Petrus et super hanc petram...*, Romani Pontificis infallibilitatem arguunt, eo quod certum faciant Romanum Pontificem positum fuisse, tanquan *fundamentum* fabricæ nunquam disjiciendæ, id est, Ecclesiæ. Jam vero Romanus Pontifex non potuit poni a Christo Ecclesiæ *fundamentum*, nisi quatenus distinctus ab reliqua præter ipsum Ecclesia. Alioquin Ecclesiæ fundamentum constituisset Christus ipsammet Ecclesiam, quod pugnat in terminis. — Pariter verba hæc: *Tibi dabo claves...*, Romani Pontificis infallibilitatem evincunt, quia denotant potestate ligandi, solvendi, cœlumque aperiendi vel claudendi, donatum fuisse Petrum *personaliter*, seu singulariter, id est, quatenus a reliquo Apostolorum collegio distinctum, prout indicat vox *tibi*[1]. Idem evincit textus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos... ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua... confirma fratres tuos.* Tentatio communis: *expetivit vos.* Oratio respicit Petrum quatenus a reliquo Apostolorum collegio distinctum, *rogavi pro te.* Immo expresse contradistinguitur Petrus ab Ecclesia reliqua: *Tu... confirma fratres tuos.* Sane istud fratres confirmandi officium, cui nequit non esse annexa infallibilitas, est prærogativa Petri quatenus a reliquis Apostolis distincti. Quomodo enim potuit Christus eum a cæterorum collegio clarius distinguere, quam dicendo: *Tu confirma*

[1] Quoad hunc et alios Scripturæ textus, vide supra, parte II, sectione III, cap. I.

fratres tuos? — Et tandem idem colligitur e textu *Pasce agnos... pasce oves*. Sane qui pastor constituitur quoad alios, officio isto donatur personaliter seu quatenus distinctus ab istis aliis, quos tanquam oves regendos accepit. Igitur dum verba hæc Christi probant Romani Pontificis infallibilitatem, simul et æque probant hacce prærogativa eum donatum fuisse *quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctum*.

Ad traditionis monumenta quod attinet, pervolvat lector quæ congessimus tota sectione secunda partis secundæ. Facile comperiet tot ista Patrum dicta, Conciliorumque decreta, necnon Romanorum præsulum definitiones in tota Ecclesia receptas, e quibus rigorose deducitur Romani Pontificis infallibilitas, simul evincere, prærogativa illa donatum fuisse Romanum Pontificem *quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctum*, seu, quod idem est, donatam fuisse Romanam Ecclesiam, *quatenus ab aliis ecclesiis distinctam*. Sit in exemplum celebris Irenæi textus: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles*. Ibi vides Ecclesiam Romanam, cujus fidei acquiescere tenentur omnes, apertissime contradistingui a cæteris mundi ecclesiis. Igitur sicut textus iste infallibilem arguit Romanam Ecclesiam, ita simul evincit eam hac prærogativa potiri, *quatenus distinctam a reliquo Ecclesiæ corpore*. Atque idem evincunt, verbi gratia, tum formula fidei cui, anno 517, Hormisdas Papa subscribi jussit; tum professio fidei a Græcis emissa in concilio Lugdunensi, anno 1274; tum definitio Florentini Concilii, anno 1439.

Igitur infallibilitatis prærogativa donatus est Roma-

nus Pontifex *quatenus distinctus a reliquo Ecclesiæ corpore*. Et hæc est communis ac omnino tenenda catholicorum doctrina.

PROPOSITIO II. — *Corpus Episcoporum, quatenus complectens caput suum Romanum Pontificem, est infallibilitatis subjectum.* — Quando nempe communi judicio de fide pronuntiant Romanus Episcopus et alia corporis episcopalis membra, illud *commune judicium* est infallibile. Nam 1° illa totius episcopalis corporis infallibilitas ex infallibilitate capitis necessario sequitur. Supponuntur quippe cæteri Episcopi eodem modo judicare ac Romanus Pontifex. Cum ergo judicium Romani Pontificis (ex propositione prima) sit infallibile, erroneum esse nequit dum ab aliis etiam Episcopis illud idem judicium pronuntiatur. — 2° Ipsimet corpori Episcoporum, quatenus caput complectenti, contulit Christus infallibilitatem. Dixit enim Apostolis, stante cum ipsis apostolici collegii capite Petro, *Quidquid ligaveritis... quidquid solveritis...* Et rursus : *Euntes docete... qui non crediderit condemnabitur*. Corpori Episcoporum infallibilitatem verba hæc vindicant, dummodo tamen communi judicio tum caput tum alia hujus corporis membra *ligent* et *solvant*, et, eamdem cum capite *fidem doceant*. Nam Apostolis quatenus a Petro sejunctis, nec per citata verba, nec per ullum alium sacræ Scripturæ textum, inerrantiæ prærogativam Christus contulit. Igitur corpori seu collegio Episcoporum, quatenus caput complectenti, et idem cum capite judicium de fide pronuntianti, contulit revera Christus inerrantiæ prærogativam — 3° Quod autem dicta infallibilitas, corpori Episcoporum competens, non *immediate* a Christo, sed *mediante Papa* dimanet, vi-

detur Patrum traditioni magis consonum. Dicit, verbi gratia, sanctus Leo : « Si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi *per ipsum* dedit quidquid aliis non negavit » (serm. 4, de ipsius assumptione ad summum Pontificatum, col. 16, edit. Ballerinorum). « Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, et *ab ipso* quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare » (ibid., col. 633). — Ad rem etiam faciunt hæc sancti Innocentii I verba : « *A quo* (Apostolo Petro) ipse episcopatus et *tota auctoritas* nominis hujus emersit » (apud Coustant, col. 888). « Ad Petrum, id est, sui nominis et *honoris auctorem* » (ibid. 896). Ut nempe Christus Dominus Ecclesiæ suæ unitati magis consuleret, voluit nullam esse penes Episcopos gubernativam potestatem, ac proinde nullam infallibiliter judicandi prærogativam, nisi per ipsummet caput Ecclesiæ Romanum Pontificem. Quod sic exprimit sanctus Thomas : « Petro *soli* promisit : *Tibi dabo claves regni cœlorum ;* ut ostenderetur potestas clavium *per eum ad alios derivanda*, ad conservandam Ecclesiæ unitatem » (*contra gentes*, l. 4, c. 7).

Propositio III. — *Corpus Episcoporum, quatenus distinctum a capite suo Romano Pontifice, non est subjectum infallibilitatis, nisi in eo sensu, quod semper extituri sint multi Episcopi Romano Pontifici quoad fidem consentientes et obsequentes.* — Ecclesiam constituit Christus ad instar Ovilis, cujus oves regerentur a multis pastoribus, sub unico tamen pastore supremo. Ecclesia scilicet, ex institutione Christi, est societas gubernantium et gu-

bernatorum. Ad gubernandum posuit Christus Episcopos; simulque uni ex istis Episcopis, id est Romano Pontifici, cæteros subjectos voluit. Unde ipsammet Ecclesiam *gubernantem* constituit Christus tanquam corpus morale, cujus caput Romanus Pontifex, membra cæteri Episcopi. Et cum sic constitutam Ecclesiam suam usque ad mundi finem duraturam promiserit, nunquam contingere potest ut non sint in Ecclesia multi Episcopi sedi Romanæ quoad fidem adhærentes, et obsequentes. Igitur corpus Episcoporum, quatenus a capite suo distinctum, est revera infallibile in eo sensu quod totum vel fere totum a vera fide non possit deficere. Nimirum est infallibile solummodo infallibilitate subjectionis et adhæsionis relative ad caput. Et illa infallibilitas nec toti collectioni, nec ulli determinato membro inhæret, sed in eo consistit quod providebit Christus ut multa semper episcopalis corporis membra in vera fide remaneant.

Magnum ergo discrimen inter corpus Episcoporum quatenus capiti adhærens, et corpus episcoporum quatenus distinctum a capite. Nam corporis Episcoporum in priori sensu intellecti quodlibet membrum est infallibile: utpote pronuntians illud idem judicium quod pronuntiant cæteri omnes cum capite suo. Si enim aliter aliquod membrum judicaret, jam desineret esse membrum illius corporis, quod supponitur communi judicio cum capite pronuntiare. At vero si agatur de corpore Episcoporum quatenus a capite distincto, jam de nullo determinato membro infallibilitas asseri potest. Imo nec certa est infallibilitas majoris partis Episcoporum. Illud solummodo certum: fore semper multos Episcopos Romano Pontifici quoad fidem adhærentes; et Ec-

clesiam gubernantem totam consistere in illis Episcopis capiti adhærentibus et obsequentibus ; cæteros vero diversam fidem profitendo seipsos extra Ecclesiam ejecisse.

Propositio IV. — *Alii præter Episcopos christiani non sunt infallibilitatis subjectum, nisi in eo sensu quod semper extituri sint multi fideles, Ecclesiæ gubernanti quoad fidem adhærentes et obsequentes.* — Quod semper multi extituri sint fideles Ecclesiæ gubernanti obsequentes, sequitur ex eo quod, vi institutionis divinæ, Ecclesia sit societas Episcoporum gubernantium, et populorum gubernatorum. Igitur deficientibus gubernatis, deficeret ipsamet Ecclesia, quam tamen promisit Christus ad finem sæculi duraturam. Alio sensu infallibiles non esse populos, vel ex eo patet quod Episcoporum regimini ad hoc præcipue subjecti sint ut veram fidem edoceantur.

Propositio V. — *Ergo erroneum est systema infallibilitatem ita reponens in senatu seu collegio Episcoporum, ut nullus Episcopus quatenus ab isto collegio distinctus, sit infallibilitatis subjectum.* — Aperte sequitur ex propositione prima ; id est, ex eo quod Romanus Episcopus, etiam quatenus distinctus a reliquo Ecclesiæ corpore, dicta prærogativa donatus sit.

Propositio VI. — *Ergo erroneum est systema infallibilitatem non agnoscens nisi in conjuncto consensu capitis et corporis ; ita scilicet ut nec Papa quatenus distinctus ab Episcoporum corpore, nec corpus Episcoporum quatenus distinctum a Papa, infallibilitate potiatur.* — Aperte item sequitur, e propositione prima, qua Romano Pontifici, etiam quatenus a reliqua Ecclesia distincto, infallibilitas vindicatur.

Propositio VII. — *Ergo erroneum est systema, quo infallibilis quidem Papa declaratur, sed solummodo quatenus instrumentum, per quod Ecclesiæ fides resonat et editur.* — Hujus nuper invectæ subtilitatis falsitas sic ostendi potest: — 1° in eo systemate, Romanus Pontifex infallibilis non esset nisi tanquam *relator* fidei aliorum; et quidem in hoc solo sensu quod referret *sine alteratione* id quod credunt alii. Quod nempe fides, sic a Romano Pontifice relata, infallibiliter vera sit, proveniret ex eo quod Christus infallibilem fecisset Ecclesiæ fidem; non autem ex eo quod infallibilem fecisset fidem ipsam Romani Pontificis. Unde Romani Pontificis inerrantia tota consisteret in prærogativa referendi sine alteratione, transcribendi sine mendo, clamandi sine mutatione id quod credit Ecclesia. Equidem errare non posset Pontifex veram credendo illam ipsam Ecclesiæ fidem quam ipse referret et enuntiaret; at ex eadem prorsus ratione, qua infallibilis est minima vetula, dummodo fidei ab Ecclesia prædicatæ adhæreat. Igitur in eo systemate, Romanus Pontifex, quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctus, infallibilis fidei prærogativam non recepisset; sed eam e contra recepisset corpus Ecclesiæ, quatenus distinctum a capite. Caput siquidem, canalis dumtaxat officio fungens, et Ecclesiæ reliquæ fidem transfundens, non eam infallibilem efficeret, sed jam infallibilem transmitteret. Id autem erroneum esse patet ex propositione prima. — 2° In eo systemate falsa forent verba Christi: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Nam Christus infallibilis fidei prærogativam constituisset in Ecclesiæ corpore. Capiti autem contulisset, non ipsam inerrantiam fidei,

sed solam inerrantiam in referendo, seu transcribendo, seu proclamando aliorum fidem. Proinde non verificarentur verba Christi, *rogavi ut non deficiat fides tua.* Siquidem vox *tua* ipsammet Petri fidem designat, non aliorum. Immo ibi apertissime infallibilis declaratur fides Petri, quatenus contradistincti a reliquo Ecclesiæ corpore. Nam,—3°, addit Christus: *Tu vero confirma fratres tuos.* Christus nempe, primum et directe, infallibilem reddidit fidem Petri; siquidem voluit ut ista *non deficiat*, et ut per istam *confirmetur*, et per ejusmodi confirmationem infallibilis reddatur fratrum seu reliqui Ecclesiæ corporis fides. Jam vero, in systemate quod confutamus, Petrus, seu Romanus Pontifex non constitutus fuisset quoad propriam suam fidem infallibilis, et fidei fratrum confirmator; sed esset dumtaxat canalis, jam infallibilem fratrum fidem transfundens; et ideo tantum propria ipsius fides esset infallibilis, quia infallibilem aliorum fidem ipse sine alteratione transfunderet, eique adhæreret. Confirmaretur nempe a fratibus, non ipse fratres confirmaret. — 4° Romano Pontifici commissum est officium *oves* et *agnos*, seu reliquam præter caput Ecclesiam, pascendi. Ad quod officium imprimis pertinet veram Christi fidem infallibiter præbere ac injungere. Ast in absono systemate quod confutamus, Romanus Pontifex non pasceret oves quoad fidem, sed potius ab eis pasceretur. Ipse siquidem non esset nisi instrumentum, per quod fides ovium personaret. Et huic ovium fidei, jam per se infallibili, ipse obsequi teneretur. — 5° Romano Pontifici competit *plena* et *suprema* potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi. Estque id dogma catholicum, omnino certum et tenen-

dum. Huic porro dogmati adversatur absonum systema de quo agimus. *Plena* enim et *suprema* esse nequit potestas Ecclesiam pascendi ac regendi, nisi complectatur regulandæ fidei potestatem, quæ præcipua est, et quæ debet necessario esse infallibilis. Ast, in dicto systemate, infallibilitas fidei a Christo constituta fuisset in Ecclesiæ corpore; et Romano Pontifici non alia collata esset infallibilitas, quam instrumentaliter significandi quid credat Ecclesiæ corpus. Proinde *suprema* regulandæ fidei potestas esset penes corpus Ecclesiæ, non penes Romanum Pontificem. Alias omitto rationes, queis magis ac magis dicti systematis falsitas ostendi posset. Utinam ii ad quos pertinet ulteriorem nascentis istius erroris propugnationem cohibeant; ne alioquin serpat ut cancer, ac postea non sine multorum commotione ac damno proscribendus sit.

Propositio VIII. — *Romani Pontificis infallibilitas est personalis in vero ac magis obvio hujus vocis sensu, licet personalis non sit in aliis minus obviis sensibus.* —Etenim *personalis* intelligi potest Papæ infallibilitas, 1° in eo sensu quod infallibilis sit Romanus Pontifex quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctus; 2° in eo sensu quod Papæ infallibilitas excludat quodlibet aliud infallibilitatis subjectum; 3° in eo sensu quod infallibilitas Papæ competat ut personæ privatæ, seu ut doctori privato.

Porro *primus* sensus est magis obvius. Dum nempe quis dicit: Romani Pontificis infallibilitas est *personalis*, perinde est (nisi aliud contextus suadeat) ac si diceret: est infallibilis Pontifex *quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctus*. Adhibetur, nempe vox *personalis*, ad significandum inerrantiæ prærogativam non esse dum-

taxat penes collegium aliquod, id est penes Episcopos communi judicio cum Papa pronuntiantes, sed etiam penes Papam quatenus a reliquo isto collegio distinctum. Qui sensus ut magis pateat, supponamus ab aliquo rege constitutum fuisse supremum totius regni tribunal; et huic tribunali præfectum fuisse supremum quemdam judicem; et huic judici collatam fuisse potestatem definitive seu in ultima instantia pronuntiandi, duobus modis, id est: vel per seipsum solum, vel communi cum nonnullis aliis judicibus sententia. Sane hujus primarii judicis suprema jurisdicendi potestas dici posset *personalis* in vero et obvio sensu. Ipsi nempe competeret quatenus ab aliis judicibus distincto, quamvis competeret etiam toti judicum cætui, quando communi judicio pronuntiarent. Similiter autem *personalis* dicitur Romani Pontificis infallibilitas, ad significandum infallibilem esse fidei definitionem duobus modis, id est: tum ex eo solo quod a Papa pronuntietur, tum quatenus pronuntiata communiter a Papa et reliquo Episcoporum collegio. Et in hoc magis obvio sensu omnino certum est *personalem* esse Papæ infallibilitatem. Christus nempe dicendo: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua... confirma fratres... pasce agnos... pasce oves... super hanc Petram ædificabo...* instituit infallibilem fore fidei definitionem *ex hoc solo* quod a Petro seu Romano Pontifice pronuntiaretur. Equidem instituit etiam infallibilem fore quando pronuntiaretur communiter a Petro et reliquo Apostolorum collegio, ut evincunt verba, *quodcumque ligaveritis...;* sed hæc posterior infallibilitas totius episcopalis corporis cum capite suo definientis, priorem infallibilitatem Romano Pontifici *personalem* nullatenus destruit.

Secundus autem sensus, quo nempe Romani Pontificis infallibilitas *personalis* diceretur ad excludendum quodlibet aliud infallibilatis subjectum, erroneus consendus est. Nam Romanus Pontifex est quidem *personaliter*, seu quatenus a reliquo episcopali collegio distinctus, verum infallibilitatis subjectum; non tamen unicum. Siquidem, ex propositione secunda, constituit Christus et aliam infallibilem auctoritatem, videlicet corpus Episcoporum cum capite suo concorditer de fide decernentium. Insuper aliquo etiam modo infallibilitatis subjectum dici potest corpus Episcoporum quatenus a capite suo Romano Pontifice distinctum; immo et corpus fidelium quatenus ab Ecclesia gubernante distinctum, prout propositione tertia et quarta dictum est. Unde rejicienda quidem foret *infallibilitatis personalis* locutio, si adhiberetur in *secundo* sensu. At non solet in hoc sensu adhiberi. Proinde scriptores catholici dictam locutionem adhibentes intelligendi sunt in primo sensu, qui et obvius et legitimus omnino est.

Tertium sensum diximus quo quis *personalem* assereret Papæ infallibilitatem, ad significandum eam ipsi ut *personæ privatæ*, competere. Et in hoc sensu vocabulum istud alicubi Fenelonius impugnat; contendens nempe Romano Pontifici, ut Ecclesiæ capiti, non ut doctori privato, collatam inerrantiæ prærogativam. In qua sententia concordant communius doctores catholici, quamvis multorum etiam sit contraria opinio. Sed tertius ille sensus nequaquam obvius est, nec supponi debet a scriptore intentus, nisi ex contextu pateat.

Propositio IX. — *Locutio infallibitatis separatæ recta est in aliquo satis obvio sensu, erronea in alio.* — Potest

nempe quis infallibilitatem Romani Pontificis *separatam* dicere in eo sensu, quod infallibilis sit Papa quatenus distinctus ab Episcoporum collegio, seu ita ut certo vera sit definitio per hoc solum quod pronuntiata sit a Papa, et abstrahendo ab hoc, an idem sit necne aliorum Episcoporum judicium. Et cum hac interpretatione, quæ magis obvia est, Romani Pontificis infallibilitas est revera et dici debet *separata*, prout e propositione prima sequitur.

Si quis vero illa voce uteretur ad excludendum quodlibet aliud infallibilitatis subjectum, erorrem obtruderet. Nam Episcoporum collegium, quatenus cum capite suo Romano Pontifice definiens, est pariter infallibilitatis subjectum, ut dictum est propositione secunda. Immo Episcoporum collegium, quatenus a Papa distinctum, ac etiam fidelium multitudo, quatenus ab Ecclesia gubernante distincta, sunt aliquo modo infallibilitatis subjectum; in eo nempe sensu, quod semper extituri sint multi Episcopi, et fideles multi, Romano Pontifici quoad fidem consentientes et obsequentes. Erraret proinde qui Papæ tribueret infallibilitatem *separatam*, in sensu *exclusivo*, id est, quodlibet aliud præter Papam infallibilitatis subjectum excludente.

Propositio X. — *Ex eo quod Papa infallibilis sit quatenus distinctus a reliquo Ecclesiæ corpore, seu ex eo quod ejus infallibilitas sit, in exposito sensu obvio*, personalis *et* separata, *sequitur in praxi Papalem definitionem esse prorsus quoad omnes et singulos statim obligatoriam, antequam constet accessisse aliorum Episcoporum consensum.* — Equidem semper continget ut fides, a Papa definita, sit simul multorum saltem Episcoporum fides. Nam si

contrarium accideret, vera fides non resideret nisi in capite ; ac proinde periisset Ecclesia ; quæ sicut nequit esse truncus sine capite, ita nec esse potest caput sine corpore. Igitur hoc ipso quod Papa propositionem definiat, jam a priori certum est, hanc esse, et semper fuisse et semper futuram multorum Episcoporum fidem. At fieri potest, ut de hac fide multorum Episcoporum unicuique Episcopo vel unicuique fideli nullatenus constet. Et nihilominus, tenentur omnes et singuli Pontificiæ definitioni statim et ex animo adhærere ; siquidem definitionis infallibilitas jam omnino certa est, per hoc solum quod Papa sit infallibilis quatenus a reliquo Ecclesiæ corpore distinctus, seu ex eo quod ipsi competat infallibilitas in supra dicto sensu personalis et separata.

§ 2. — **Adnotatio de quibusdam tomi secundi verbis, Jesuitas Galliæ respicientibus; necnon de commodatis mihi documentis a clarissimo Carolo Gérin.**

1. Quæ a me dicta sunt (tomo II, p. 77-108) de Jesuitis Galliæ, nolim aliter intelligat lector quam ipse scribens intellexi. Quia vero nonnulli, prout ad me perlatum est, in hisce paginis minus benevolum sibi videre visi sunt scopum (quem tamen vel ipse paragraphi titulus palam excludit), expresse declarandum duxi, me id solum intendisse, ut a societate Jesu, de sede Apostolica Romanisque Pontificibus tam præclare ac constanter benemerita, injuriam repellerem, qua lugendæ aliquot degenerum ejus membrorum aberrationis ipsamet rea traduceretur. Nec erat cur distinctius exprimerem ibi agi *de quibusdam solummodo*, minime vero de omnibus Je-

suitis Galliæ. Licet enim Provinciales et alii pauci provinciarum Galliæ primarii viri, haudquaquam, prout decuit, sese tunc gesserint, quis jure possit hanc superiorum culpam inferioribus adscribere? Hi siquidem, quid a paucis istis præpositis in transversum ageretur, sin minus omnes, plerique saltem ignorarunt. Aliunde vero testantur indubitata historiæ monumenta, Gallos generatim Jesuitas, etiam post infaustam anni 1682 declarationem, doctrinæ de Romani Pontificis infallibilitate adhæsisse. De quo videri possunt Fenelonii epistolæ, necnon recens ac tanti momenti volumen, *Recherches sur l'Assemblée de* 1682, auctore clarissimo Carolo Gérin.

2. Præfato scriptori Carolo Gérin debentur, prout jam alias monui, præcipua inedita documenta, quæ de Facultate Parisiensi, nec non cleri comitiis anni 1682, tum in præsenti tractatu, tum in publicatione periodica *Revue des sciences ecclésiastiques*, publici juris feci. Ipse scilicet, eximia comitate ac benevolentia, ea mihi commodaverat ac edi a me consenserat. Quod autem, instante Vaticano concilio, dictus vir inedita ejusmodi documenta detexerit, et suum nunquam satis nostratibus commendandum ediderit librum, *Recherches sur l'Assemblée de* 1682, id ego unum e præstantissimis dixerim beneficiis, quibus, providente Deo, catholica Ecclesia nostris temporibus donata est.

TRACTATUS

DE PAPA

PARS IV

ROMANO PONTIFICI VINDICATUR POTESTAS IN REM TEMPORALEM SOCIETATUM CIVILIUM

Prævia disceptatione statum quæstionis determinabimus; in hunc præcipue scopum ut lector quoad ejusmodi potestatem sedulo distinguat quæstionem *an sit* a quæstione *qualis sit;* id est, quæstionem an Romano Pontifici revera competat *aliqua* in rem temporalem statuum potestas, a quæstione *qualis* ea potestas sit, directane an indirecta. Nam quod *aliqua* competat, est certa prorsus ac tenenda doctrina, prout abunde probabitur, non autem mera opinio quæ licite impugnari ac rejici valeat. *Qualis* vero ea sit, non eodem modo doctores catholici exposuere. Alii nempe directam, indirectam alii propugnarunt. Qua præmissa de statu quæstionis disceptatione, variis argumentis in totidem sectiones distributis Romano Pontifici vindicabitur in rem temporalem principum

vera potestas, sive directa hæc dici debeat, sive potius indirecta. Et tandem sectione ultima exponemus quo sensu et quibus argumentis sive directa sive indirecta potestas a suis respective defensoribus intelligatur ac propugnetur.

DISCEPTATIO PRÆVIA

DE STATU QUÆSTIONIS

Propositio Iª. — *Duplex moveri potest, ac de facto mota est quæstio, de potestate Papæ in rem temporalem societatum civilium, videlicet : an sit, seu quæstio de re; et qualis sit, seu quæstio de modo.* — Quod utraque moveri quæstio possit, per se patet. Quod de facto mota sit, testantur theologorum libri de utraque disserentes.

Propositio IIª. — *Ex eo quod doctores catholici inter se non consentiant de modo hujus potestatis, et modus ille incertus sit; non sequitur rem seu potestatem ipsam non esse omnino certam, atque ut talem ab ipsis communiter admissam.* — Plurima nempe *quoad rem* certa sunt et extra omnem omnino controversiam, licet *quoad modum* disputationi et opinionum varietati obnoxia remanserint. Sane si de factis historicis agatur, extitisse ac peccasse regem Salomonem certum est; an vero pœnitens obierit, incertum. Pariter ingenti doctrinæ fama floruisse Origenem, sanæ mentis negat nullus; an vero heterodoxe senserit et docuerit, disputatur. Atque ut ipsa etiam dogmata in exemplum adducamus, divinarum personarum trinitas articulus fidei est : de modo autem quo tres personæ sese habent in Deo, variæ apud doctores catholicos extant disputationes ac opiniones. Item Episcopis legitime constitutis competere jurisdictionem in suas respective diœceses, dogma catholicum est : an autem jurisdictio hæc dicenda sit immediate vel mediate a Christo dimanans, disputatum est.

Igitur diversimode quidem potestatem Papæ in temporalia statuum doctores catholici intellexerunt, et alii *directam* propugnaverunt, *indirectam* alii; at licet disputantes de *qualitate* hujusce potestatis, ipsam tamen potestatem communi sententia ut omnino certam docuerunt, prout mox patebit. Proinde apertissimo sophismate nugantur Gallicani systematis sequaces, quando sic arguunt : *Dictæ potestatis propugnatores inter se disputant, directa ne sit an indirecta; ergo nihil probat eorum auctoritas.* Disputant quoad modum, non quoad rem; ac proinde, quoad rem, tota stat ipsorum consensui auctoritas. Dicto sophismate, inter alios, usus est heterodoxus Barclaius, qui sic a Bellarmino perstringitur : *Licuit catholicis scriptoribus qui consentiunt in re, disputare de modo : non licuit Barclaio adversus omnes alios scriptores, atque adversus omnem conciliorum etiam generalium sententiam, negare omnino potestatem summi pontificis in temporalibus. Quemadmodum licuit et licet scholasticis doctoribus, qui confitentur in Deo unitatem essentiæ cum trinitate personarum, multa disputare de attributis essentiæ divinæ et personarum constitutione : sed non licuit arianis veteribus et novis, vel essentias Dei scribendo multiplicare, vel trinitatem confundere. Pari ratione licuit et licet catholicis doctoribus, qui consentiunt de substantia septem sacramentorum, disputare de multis quæ ad fidei fundamenta non pertinent : non tamen licet nec licuit sectariis lutheranis et calvinistis tam multa scribere contra substantiam et numerum sacramentorum : quod idem de aliis fidei dogmatibus dici potest.* (Contra Barcl., cap. I, edit. Venet. 1721, t. V, p. 32.)

Propositio III[a]. — *Ut erroneus probetur primus e quatuor articulis gallicanis anni 1682, satis est certam probari Romani Pontificis potestatem in rem temporalem statuum, non autem necesse est ut potestas illa directa indirectave probetur.* — Nam in dicto articulo sic pronuntiarunt Episcopi comitiorum anni 1682 : « Hæc sancienda et declaranda esse duximus :

Primum, Beato Petro ejusque successoribus Christi vicariis, ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino : *Regnum meum non est de hoc mundo :* et iterum : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo :* ac proinde stare Apostolicum illud : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt : itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ quam imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni et sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam. »

Ibi sane apertissime negatur *quælibet*, et sive directa sive indirecta, Romani Pontificis potestas in rem temporalem Regum et Principum. Erroneus ergo articulus, si certa probetur ejusmodi Romani Pontificis auctoritas, quamvis non dirimatur quæstio, an directa vel indirecta dicenda sit.

Propositio IVª. — *Præcipua et maximi momenti quæstio est an Romano Pontifici jure divino competat vera potestas in rem temporalem statuum. Qualis autem hæc potestas sit, directa ne an indirecta, est secundaria seu minoris momenti quæstio.* — I. Si Romano Pontifici vera competat in rem temporalem statuum potestas, etiamsi potestas hæc indirecta solummodo sit, sequitur societates civiles, licet ab Ecclesia jure divino distinctas, non esse tamen ab ipsa independentes, sed e contra ei jure divino subesse quoad materias omnes quæ finem Ecclesiæ, id est, salutem animarum, præpedire possent. Sequitur proinde posse a Romano Pontifice, utpote plenam regendæ universalis Ecclesiæ potestatem obtinente, prohiberi

ac annullari quidquid in societatibus civilibus dicto Ecclesiæ fini nocivum foret; Reges autem, gubernia et populos teneri omnino ad obtemperandum ejusmodi decretis Pontificiis, id est, ad vitandas vel (si jam inductæ sint) ad corrigendas eas omnes societatis civilis ordinationes, quas Papa definierit dicto Ecclesiæ fini adversari. Sequitur ulterius, si Rex aliquis populum suum catholicum persecutione, vel decretis suis, aut aliis malis artibus pervertere tentet, et ad hæresim infidelitatemve impellat, nec aliter in ejus regno fides catholica salva esse possit quam ipsiusmet regis depositione, posse depositionem illam Romani Pontificis auctoritate procurari. Hæc sane consectaria maximi momenti esse nemo negaverit. Nec leviora oppositæ doctrinæ corollaria. Ex ea nempe logice deducitur quæ recentioribus temporibus vocata est societatum civilium *sæcularisatio;* id est, prætensum jus statuum sese constituendi, legesque suas ac cætera quælibet ordinandi, nulla habita ratione veræ religionis a Christo Deo revelatæ, aut legum Ecclesiæ. Nam si teneatur gubernium res suas sæculares ita ordinare, ut finem Ecclesiæ, id est, æternam animarum salutem non præpediat, jam *independens* non est a supremo Ecclesiæ Rectore, Romano Pontifice. Ad hunc siquidem pertinet edocere ac definire quid saluti animarum adversetur; cum quæstio hæc spiritualis sit, nec competentiam ullam habeant reges et gubernia ad decernendum de spiritualibus.

Cæterum præcipuam quæstionem esse, an Romano Pontifici vera competat in rem temporalem statuum potestas, non autem qualis ea sit, satis liquet e primo quatuor articulorum anni 1682. Ibi siquidem, non hoc vel illo modo intelligenda dicta potestas contenditur; sed prorsus negatur quælibet, sive directa sive indirecta, ejusmodi auctoritas.

II. Secundariam vero et minoris momenti esse aliam de directa indirectave potestate quæstionem, colligitur ex eo quod in utraque sententia iidem in praxi effectus conse-

quantur. Quidquid nempe alii Romanis Pontificibus vindicant ratione *directæ* potestatis, idipsum alii ratione *indirectæ* ipsis adscribunt.

Propositio Va. — *Quibus argumentis Ecclesiæ vindicatur potestas in rem temporalem statuum, iisdem et Romano Pontifici eadem potestas vindicatur.* — Cum enim Romano Pontifici jure divino competat plena regendæ Ecclesiæ potestas, quidquid potestatis Ecclesiæ merito tribuitur, hoc ipso debet et Papæ tribui. Nec fingatur majorem esse potestatem in concilio Ecclesiam repræsentante, quam in solo Papa. Nam, ut superiori parte vidimus, si agatur de concilio-sine-Papa, major est potestas Papæ; si vero agatur de concilio-cum-Papa, nec major nec minor est papalis auctoritas. Igitur ut probetur Romani Pontificis in rem temporalem statuum potestas, merito infra producuntur, non tantum documenta et auctoritates quæ dictum jus expressis terminis *Papæ* tribuunt, sed etiam quæ illud tribuunt *Ecclesiæ*. Primus e quatuor articulis anni 1682, quamlibet ejusmodi potestatem *vicariis Christi ipsique Ecclesiæ* denegat. Ad quem proinde explodendum errorem valent argumenta quæ, sive Ecclesiæ, sive Romano Pontifici dictam potestatem vindicant.

Propositio VIa. — *Opinio quæ omnem potestatem, id est, sive directam sive indirectam, in rem temporalem statuum Ecclesiæ denegat, expresse damnata fuit a Pio papa IX, in bulla* Quanta cura, *propositione XXIV Syllabi.* — Damnatæ hujus propositionis vigesimæ quartæ tenor est hujus modi : « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. » (Bulla *Quanta cura*, 8 decembris 1864.)

SECTIO I

ARGUMENTUM EX UNANIMI CONSENSU DOCTORUM CATHOLICORUM, A TEMPORE SANCTI BERNARDI, SEU A DUODECIMO SÆCULO, USQUE AD ANNUM 1626

Duo hic expendenda : primo, quæ fuerit *doctorum scholæ* de præsenti quæstione sententia; secundo, quæ vis probandi sententiæ huic inhæreat. Quamvis autem *schola* proprie dicta initium a Magistro sententiarum, seu Petro Lombardo, sumpserit, ejusmodi tamen explorationem paulo altius inchoabimus, id est a duodecimo sæculo.

§ 1. — Doctrina sancti Bernardi ; — inanes Bossuetii artes ad eludendam ejus auctoritatem.

Textus I. — « Audi tamen Apostolum quid de hujusmodi (id est, *De negotiis temporalibus*) sentiat : *Sic non est inter vos sapiens*, ait ille, *qui judicet inter fratrem et fratrem?* Et infert : *Ad ignominiam vobis dico: contemptibiliores qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Itaque secundum Apostolum indigne tibi usurpas, tu Apostolicus, officium vile, gradum contemptibilium... Ego autem parco tibi. Non enim fortia loquor, sed possibilia. Putas-ne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hæreditate et flagitantibus abs te judicium, voce Domini tui responderes : *O homines, quis me constituit judicem super vos?* In quale tu judicium mox venires?

Quid dicit homo rusticanus et imperitus, ignorans primatum suum, inhonorans summam et præcelsam Sedem, derogans Apostolicæ dignitati? Et tamen non monstrabunt, puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itane imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major domino suo : aut discipulus, si non vult esse major eo qui se misit : aut filius, si non transgreditur terminos quos posuerunt patres sui? *Quis me constituit judicem*, ait ille Dominus et magister : et erit injuria servo discipuloque, nisi judicet universos. Mihi tamen non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat apostolis seu apostolicis viris non judicare de talibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus et angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra : quoniam propter illa, et non propter has, accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. *Ut sciatis*, ait, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, etc. Quænam tibi major videtur et dignitas et potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima et terrena judices suos, reges et principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat Apostolus : *Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente; aliud ultro incumbere istis tanquam magnis dignisque tali et talium intentione rebus. » (*De consideratione*, lib. I, cap. VI et VII.)

In hac ad Eugenium III exhortatione duo asserit sanctus Bernardus quoad temporales lites videlicet : 1° Non debet

summus Pontifex *ordinarie* judicandis ac dirimendis ejusmodi litibus vacare; tum quia debet altioribus intentus esse; tum etiam quod principum et regum terræ munus sit judicia hæc exercere; 2° ipsi tamen vetitum non est id officii exercere *extraordinarie*, id est, *necessitate exigente*, seu aliqua *causa urgente*. Persuasum igitur sancto Bernardo, Romano Pontifici non deesse potestatem in ejusmodi lites, ac proinde in rem temporalem societatum civilium, in casu *necessitatis* vel *urgentis causæ*, id est (ut procul dubio intellexit sanctus vir) quando id necesse foret ad præcavendum grave religionis et Ecclesiæ detrimentum.

Quid Bossuet ad hunc textum? — Sibi faventem fingit. Citato nempe loco ubi dicit Bernardus, nullum Apostolorum sedisse judicem hominum, aut divisorem terminorum, aut distributorem terrarum, sic exclamat Bossuet : « At nunc, si Deo placet, pro apostolica auctoritate orbem ad arbitrium divident, ac ducatus, marchionatus, comitatus, ipsa etiam regna distribuent. » (*Defensio*, parte I, libro III, cap. xv.) Ut adversariis suis invidiam concitet, eis affingit Bossuetus stoliditatem illam, jus esse Papæ *ducatus et regna pro arbitrio distribuere*. Mox videbit lector longe aliam esse illorum doctrinam. Interea remanet a S. Bernardo attributam Papæ potestatem de temporalibus judicandi, *necessitate exigente*, *causa urgente*. — In citato textu sancti Bernardi non aliud exprimi asserit Bossuetius quam doctrinam hanc : *Ad claves pertinent sola cœlestia* (*Defensio*, loco cit.). Sed expressis verbis asserit S. Bernardus posse a Papa res etiam temporales judicari incidenter, *necessitate exigente*, *causa urgente*. — Tandem ad hæc ultima verba deveniens Bossuetius, mirum quo effugio sese expediat, et vocabulum istud *incidenter* contorqueat : « Quid sit in rem aliquam *incidenter* incurrere, inquit, jurisconsulti sciunt. Puta cum quis judex ecclesiasticus de matrimonio cognoscens, *incidenter*, et, ut aiunt, *casualiter* de dote alimentisve decernit » (*Defensio*, loco cit.). Sed, quæso, quid expendit S. Bernardus in toto citato

textu? Nimirum an debeat necne summus Pontifex pro tribunali sedere ad judicandas temporales lites. Hæc autem ejus conclusio : 1° Non debere summum Pontificem *ultro incumbere istis tanquam magnis dignisque tali et talium intentione rebus;* 2° suam vero mentem non esse quod non possit legitime summus Pontifex, *ubi necessitas exigit, incidenter incurrere in ista, causa urgente.* Ut autem firmet hanc ultimam sententiam suam, allegat dictum sancti Pauli : *Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis judicatis?* Igitur intelligebat sanctus Bernardus posse a Papa dirimi, *necessitate exigente,* lites illius speciei de qua loquitur Apostolus. Alioquin perperam dictum ejus allegasset. Porro ibi sanctus Paulus prohibet ne Christiani *lites* suas *temporales* ad paganorum tribunalia deferant. Vultque aliquos de Ecclesia ad illas judicandas eligi. Quod autem loquatur ibi sanctus Paulus de causis *ecclesiasticis* christianorum, aut tantum de causis temporalibus connexis cum ecclesiasticis, et quæ ratione hujus connexionis possint ab ecclesiastico judice incidenter dirimi, stultum foret vel in quæstionem adducere; cum ex contextu pateat eum loqui de litibus et processibus possessiones temporales spectantibus. Ergo et sanctus Bernardus eorum judicium Papæ tribuit cum restrictione *ubi necessitas exigit.* Et quod addat *incidenter,* idem est ac si dixisset *extraordinarie.* Cæterum interpretatio vocis *incidenter* a Bossuetio excogitata, adeo absona visa est doctissimo Bianchi, ut eam sic perstrinxerit : *Egli spiega in sentimento stravagantissimo le parole di san Bernardo.* (*Della potestà della Chiesa*, t. II, p. 324, edit. Romæ 1745.)

Textus II. — « Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic : Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse; tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus apostolis, ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed, ni-

mis est. Uterque ergo Ecclesiæ, et spiritualis scilicet gladius, et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exerendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et jussum imperatoris. Et de hoc alias. Nunc vero arripe illum qui tibi ad feriendum creditus est, et vulnera ad salutem, si non omnes, si non vel multos, certe quos possis. » (*De consideratione*, libro IV, cap. III, editio regia, Parisiis 1642, t. III, p. 70.)

De eodem duorum gladiorum allegoria alio loco sic meminit S. Bernardus : « Non est, dico vobis, in causa tam generali et tam gravi[1] tepide agendum, sed ne timide quidem... Exerendus est nunc uterque gladius in passione Domini, Christo patiente, ubi et altera vice passus est[2]. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est : alter suo nutu, alter sua manu quotiens necesse est evaginandus. Et quidem de quo minus videbatur, de ipso ad Petrum dictum est : Converte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat et ille, sed non sua manu utique educendus. Tempus et opus esse existimo ambos educi in defensionem orientalis Ecclesiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc, principatum tenere et ministerium declinare? » (Epist. CCLVI, edit. regia, t. IV, pag. 581.)

Ex iis textibus hæc certa sunt: 1° sub allegoria duorum gladiorum, spiritualis scilicet et materialis, loquitur S. Bernardus de duplici Romani Pontificis potestate, id est, in spiritualia et in temporalia ; 2° ipsum etiam gladium *materialem* Romano Pontifici adcenset, apertissime id quinquies asserendo. « Quem tamen, inquit, qui *tuum* negat non satis mihi videtur attendere Verbum Domini. — *Tuus* ergo et ipse — *Uterque* ergo Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et *materialis* — Petri *uterque* est — Ergo *suus* erat et ille. » 3° Quoad modum utendi materiali gladio, dicit eum non manu Pontificis, sed *ad ejus nutum* esse

[1] Nempe in negotio expeditionis cruciferorum.
[2] Alludit ad cladem expugnatæ ab infidelibus urbis Edessæ.

exerendum. Igitur luce meridiana clarius docuit sanctus doctor, materialem gladium, id est, potestatem in temporalia, Romano Pontifici jure divino competere.

Quid ad hunc textum Bossuetius? — Quod luce meridiana clarius erat, finxit sibi obscurum videri, ut tantam auctoritatem eluderet. En ejus effugia : 1° Ex eo quod dixerit sanctus Bernardus gladium materialem exerendum ad *nutum* sacerdotis et *jussu* imperatoris, contendit Bossuet, per materialem illum summi Pontificis gladium, non aliam a sancto doctore intellectam fuisse potestatem, quam principes exorandi ac exhortandi, ut ipsi hoc vel illo modo suo gladio utantur. Sed, quæso, numquid potestas exhortandi vicinum meum ut domo sua tali modo utatur, unquam faciet ut domus hæc *mea* dici possit? Quinquies asseruit Bernardus gladium materialem ad Romanum Pontificem pertinere, ac vere *suum* esse. Juxta Bossuetii interpretationem, dicendo *suus erat et ille*, voluisset sanctus Bernardus dicere *suus non erat*, id est, præcise contrarium. Si, prout contendit Bossuet, materialem Papæ gladium eo dumtaxat sensu intellexit Bernardus, quod summi Pontifices *prædicando*, *adhortando*, *dando indulgentias*, *Principes ac milites* incitare valeant (*Defensio*, parte I, libro III, cap. XVI), non potuit idem S. Bernardus de isto materiali gladio dicere : « *De quo minus videbatur*, de ipso ad Petrum dictum est : Converte gladium *tuum* in vaginam. Ergo suus erat et ille. » Sane potestas *quæ minus videbatur* Romanis Pontificibus a Christo concessa, non est potestas *prædicandi*, *adhortandi et indulgentias dandi*. Cæterum videtur ipse Bossuetius inanitatis hujus sui responsi conscius fuisse ; recurrit siquidem ad aliud valde diversum, videlicet. 2° Asserit sanctum Bernardum in hac duorum gladiorum allegoria *pie lusisse;* se autem non sinere, ut ejusmodi piæ et ingeniosæ contorsiones in dogmatis catholici probationem adducantur : « reliqua quæ sanctus Bernardus cæterive, alii alio, pie ingenioseque detorserint, ad elucidanda quæ aliunde certa sint theologi ad-

mittimus : non certe progredi eo usque *sinimus*, ut iis quoque firmari theologica dogmata arbitremur. » (*Defensio*, citato capite, sub finem.) Et antea dixerat : « Majora enim hæc sunt (nempe, theologica dogmata) quam ut uno Bernardi verbo et loco, quantumvis clarus esset, unaque allegoria comprobari possint. » Hæc sane modestiam et in sanctum Bernardum reverentiam non sapiunt. Potest autem illud Bossuetii ratiocinium sic contrahi : doctrina sancti Bernardi exponitur cum allegoria, seu cum stylo metaphorico ; ergo nihil probat — sed, oro amabo, quid probandum est? Non aliud quam hoc : sanctum Bernardum Romano Pontifici potestatem in temporalia tribuisse. Porro stylus metaphoricus, quo sanctus doctor usus est, nequaquam impedit quin hoc ipsum luce meridiana clarius asseruerit. Nam quod per *gladium materialem* intellexerit potestatem in temporalia, nemo sincerus in quæstionem vocaverit. Hunc autem gladium materialem ad Papam pertinere, quinquies apertissimis verbis affirmavit. Si valeret Bossuetii ratiocinium, merito Lutherus objecisset nihil probare sanctos patres et doctores omnes, qui primatum Romani Pontificis firmaverunt textibus evangelicis, *tibi dabo claves... pasce oves, pasce agnos... super hanc petram ædificabo...*; siquidem hi etiam textus allegoriæ sunt et metaphoræ. — 3° Textum sancti Bernardi citant Gregorius IX (Epist. VI, Labbe, tom. XI, col. 325) et Bonifacius VIII (in constitutione *Unam sanctam*) ut auctoritate sancti doctoris, materialem gladium proprio ac stricto jure suum esse defendant. Quod bene noverat et sibi objicit Bossuetius (*Defensio*, p. I, l. III, c. 16). Sed, extra quæstionem vagans, dicit hoc non sufficere ad probandam hanc Romani Pontificis potestatem, *reluctante* (ut falso asserit) *omni antiquitate*. Vanum et istud effugium. Nam quæstio est, an S. Bernardus dictam potestatem in citato textu Papæ adscripserit. Porro hanc revera fuisse ipsius doctrinam, et ipse textus evidenter declarat, et certum existimarunt duo laudati Pontifices. Etiamsi erronea foret illa Bernardi et dictorum Pontificum doc-

trina (quod falsum est) et etiamsi huic doctrinæ *reluctaretur omnis antiquitas* (quod est falsum pariter Bossuetii assertum, ut ex tota parte IV præsentis tractatus liquebit), certum nihilominus remaneret stare auctoritatem S. Bernardi pro ejusmodi potestate Papæ in temporalia. — 4° Tandem ad videndum quomodo eludi possint textus sancti Bernardi de duobus gladiis, lectorem remittit Bossuetius ad Ægidium Columnam et Joannem de Parisiis, quos *antecessores suos* ingenue nuncupat. — *Primo:* Ad Joannem de Parisiis quod attinet, adeunda dicit Bossuetius, capita XI et XVII tractatus *De potestate regali et Papali.* Porro, in capite XI, duplici modo Joannes de Parisiis respondet ad textum Bernardi de duobus gladiis. Dicit nempe hunc textum Bernardi *non esse magnæ auctoritatis;* in quo quidem responso magna impudentia, sed nihil quod Bossuetium juvare possit. Imo contradicit Bossuetio qui Bernardum vocaverat *virum apostolicum, neque tantum Ecclesiæ gallicanæ, verum etiam universæ lumen.* Insuper Joannes de Parisiis dicit vocibus istis S. Bernardi *nutu sacerdotis ad jussum imperatoris*, significari gladium materialem ad Papam non pertinere. Sed Bossuetius absurdam hanc interpretationem jam multo melius obtrudere tentaverat. Cur ergo remittit ad Joannem de Parisiis, quasi ad quoddam novæ ac diversæ confutationis promptuarium? Nec magis Bossuetium juvat, caput XIX. Ibi nempe Joannes de Parisiis triplex responsum opponit textui sancti Bernardi de duobus gladiis. Primo nempe dicit textum hunc nihil probare, eo quod pertineat ad theologiam mysticam, et mystica theologia *non sit argumentativa.* Quod quidem responsum, etiamsi non foret ridiculum, nihil Bossuetium juvaret. Nam quæstio cum Bossuetio est, utrum sanctus Bernardus utramque potestatem Ecclesiæ competere assuerit et crediderit. Esto non valeat argumentum sancti Bernardi : certum remanet factum de quo agitur; id est ab ipso Ecclesiæ attributam fuisse utramque potestatem. Secundo, dicit Joannes de Parisiis duobus Evangelii gladiis non significari duas potes-

tates, sed aliud prorsus diversum. Demus ita esse : inferri solummodo posset perperam a sancto Bernardo intellecta fuisse verba evangelica. At non sequerctur ipsum Ecclesiæ non attribuisse utramque potestatem; in quo est ipsissima quæstio. At ridiculum quam maxime tertium responsum. « Dato, inquit, quod per illos duos gladios, quos habebant apostoli, intelligantur duæ potestates, scilicet spiritualis et temporalis; quæ licet dicantur ibi esse, non tamen dicuntur ambæ esse Petri vel alterius Apostoli. Nam unum eorum non tetigit Petrus, scilicet sæcularem, qui suus non erat. Alium vero tetigit, scilicet spiritualem, quem solum Dominus dixit esse suum... unde dictum ei *pone gladium tuum in vaginam* » (Joannes de Parisiis, *De potestate regia et Papali*, c. XIX,—non capite XVIII, prout erronee in editionibus Bossuetii). Juxta illam mirabilem interpretationem, Petrus auriculam Malchi amputasset cum gladio *spirituali*. An ut talia disceremus provocavit Bossuetius ad Joannem de Parisiis? Sed dato etiam sic intelligendos gladios, certum remaneret factum de quo solo movetur quæstio, videlicet dictum a sancto Bernardo fuisse de gladio temporali, *suus erat et ille*. — *Secundo*, nec felicior Bossuetii provocatio ad Ægidium Columnam. Nam remittit quidem ad istum auctorem, sed nullum indicat scriptorum ejus locum. Si agatur de opusculo cui titulus *quæstio de utraque potestate* (in collectione Goldasti *Monarchia sancti imperii Romani*, t. II), nullam ibi inveni confutationem textus sancti Bernardi de duobus gladiis. Equidem ibi occurrunt verba hæc : *Non enim dicuntur duo gladii fuisse Petro, sed unus tantum ;* sed verba ista crude contradicunt sancto Bernardo, non autem eum confutant, aut ad sensum Bossuetii interpretantur. Præterea ipse etiam Ægidius Columna nequaquam concordat cum Bossuetiano systemate. Nam ab ipso Ecclesiæ tribuitur potestas in temporalia, eo sensu quod potestas temporalis sit *sub* spirituali, et quod Rex possit summo Pontifici *subjacere ratione alicujus causæ spiritualis*, prout constat duobus sequentibus locis : *Sed dicet*

aliquis quod reges et principes spiritualiter, non temporaliter subsint Ecclesiæ : sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt : nam si solum spiritualiter reges et principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio, non essent temporalia sub spiritualibus, non esset ordo in potestatibus, non reducerentur infima in suprema per media. (*De potestate ecclesiastica*, parte I, cap. XXX. — Apud Bellarminum, præfatio in Barclaium, pag. IV, edit. Mediolani, t. I, sub initium voluminis.) — *Rex Franciæ secundum jura non subest summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo sui; potest tamen ei subjacere incidenter et casualiter ratione connexionis alicujus causæ spiritualis, sicut habetur Extravaganti de judiciis, capite* Novita. (Apud Bianchi, *Potestà della Chiesa*, t. I, p. 96, edit. Romæ 1745.)

Textus III. — Electo ad summum Pontificatum discipulo suo, monasterii sancti Anastasii abbate, qui Eugenii III nomen assumpsit, scripsit sanctus Bernardus ad Romanæ curiæ prælatos epistolam, qua sic admirationem suam de tam insolita simplicis monachi promotione significat : *Quid igitur rationis seu consilii habuit; defuncto summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum, latenti injicere manus, et excussa e manibus securi et ascia vel ligone, in palatium trahere, levare in cathedram, induere purpura et bysso, accingere gladio ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat inter vos sapiens et exercitatus, cui potius ista convenirent? Ridiculum profecto videtur pannosum homuncionem assumi ad præsidendum principibus, ad imperandum episcopis,* AD REGNA ET IMPERIA DISPONENDA. *Ridiculum, an miraculum? Plane unum horum...* (epist. 237). Notet lector verba hæc : *Ad regna et imperia disponenda.* Nisi Bernardo persuasum fuisset, Romano Pontifici aliquam potestatem competere in rem temporalem statuum, an auctoritatem papalem describendo, eam extendisset *ad regna et imperia disponenda?*

Quid ad hunc textum Bossuet? — Omnino nihil, cur locum

istum siluerit, an quod ignoraverit, an alia de causa, nescitur.

Textus IV. — Sic Eugenium III sanctus Bernardus alloquitur: *De cætero oportere te esse considera formam justitiæ..., assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, christianorum ducem..., ultorem scelerum, malorum metum..., virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis* (*De Consideratione*, l. IV, c. vii). Si existimasset S. Bernardus spiritualem dumtaxat Romano Pontifici competere in reges et regna potestatem, ridicula declamatione Papam vocasset *malleum tyrannorum*. Tyranni quippe parum curarent *malleum* ejusmodi, qui pœnam dumtaxat excommunicationis infligere valeret, absque ullo in temporalibus consectario. Vox *malleus* efficacem coactionem sonat. Unde malleus tyrannorum non est nec dici potest auctoritas, quæ nequeat tyrannos etiam invitos ac renitentes efficaciter coercere. Quod etiam applicandum suo modo venit locutionibus, *ultorem scelerum*, et *Deum Pharaonis*.

Igitur, quod a sancto Bernardo pro certa prorsus habita fuerit Romani Pontificis in rem temporalem statuum *aliqua* vera potestas, citati textus evincunt plenissime.

Nota. —De quæstione secundaria, *directamne* an *indirectam*, in temporalia potestatem S. Bernardus Papæ tribuerit, *vide infra*, sectione VII.

§ 2. — Doctrina Petri Cluniacensis (qui obiit anno 1156).

Is etiam et Gallus et sanctus. « Quoiqu'il n'ait pas été canonisé dans les formes, on ne fait point difficulté de mettre sa fête le 25 décembre dans les martyrologes des bénédictins et dans celui de France » (*Biblioth. sacrée*, par les PP. Richard et Giraud, article *Pierre de Cluny*). Hæc ejus de præsenti quæstione doctrina :

« Quamvis Ecclesia non habeat imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed et super ipsos imperatores, *imperium*. Unde ei sub figura prophetici nominis dictum est : constitui te super gentes et regna ut evellas et destruas et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes. Quare si non potest occidere, potest evellere : si non potest occidere, potest destruere » (Epistolarum, lib. VI, epist. 28; in *Bibliotheca Patrum*, edit. Lugduni, t. XXII, p. 956). Igitur Petro Cluniacensi persuasum fuit Ecclesiæ competere *super ipsos imperatores imperium*, et Ecclesiam, utpote constitutam super gentes et regna ut evellat et destruat, ædificet et plantet, posse *evellere et destruere*, quamvis nequeat *occidere*. Concordat cum citata S. Bernardi sententia, videlicet, gladium materialem non exerendum Romani Pontificis *manu* (quod idem sonat ac eum *non posse occidere*, ut dicit Petrus Cluniacensis), sed ejus *nutu*. Ast ejusmodi *nutum* intellexit Petrus Cluniacensis, non meram exhortandi facultatem, ut vult Bossuet, sed *imperium* in ipsos etiam imperatores; et quidem imperium vi cujus valeat Ecclesia imperatores *evellere* ac *destruere*.

§ 5. — Doctrina Petri Blesensis (obiit anno 1200).

Inter Petri Blesensis epistolas, extant nonnullæ ab Eleonora, Anglorum regina, ad Cœlestinum Papam III directæ, sed quæ ab ipso Petro Blesensi conscriptæ reputantur. In iis sic legere est : « Duo filii mihi supererant ad solatium, qui hodie mihi miseræ et damnatæ supersunt ad supplicium. Rex Richardus tenetur in vinculis : Joannes frater ipsius regnum captivi depopulatur ferro et vastat incendiis... Porro Princeps apostolorum adhuc in apostolica sede regnat et imperat; et in medio constitutus est judicarius rigor; illudque restat ut exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc constituit super gentes et regna. Christi crux antecellit Cæsa-

ris aquilas; gladius Petri gladio Constantini; et apostolica sedes præjudicat imperatoriæ potestati.

« Vestra potestas a Deo est, an ab hominibus? Nonne Deus deorum locutus est vobis in Petro dicens : Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis? Quare ergo tanto tempore tam negligenter, imo tam crudeliter filium meum solvere differtis, aut potius non audetis? Sed dicetis, hanc potestatem vobis in animabus non in corporibus fuisse commissam. Esto : certe sufficit nobis si eorum ligaveritis animas qui filium meum ligatum in carcere tenent : filium meum solvere vobis in expedito est, dummodo humanum timorem Dei timor evacuet...

« Ecclesia olim superborum et sublimium colla propria virtute calcabat, legesque imperatorum sacros canones sequebantur. Nunc autem ordine turbato, non dicam canones, sed canonum conditores pravis legibus et consuetudinibus execrandis arctantur... Hæc videt summus pontifex, et gladium Petri supprimit in vagina repositum! » (Petri Blesensis, epist. CXLVI. — Operum pag. 230, edit. Parisiis, 1667.)

« Quæ enim excusatio possit vestram desidiam et incuriam palliare, cum omnibus liqueat, quod liberandi filium meum habetis potestatem et subtrahitis voluntatem? Nonne Petro apostolo, et in eo vobis a Deo omne regnum omnisque potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non rex, non imperator, aut dux a jugo vestræ jurisdictionis eximitur... Vestrum agnoscite principatum... Et cognoscat generatio altera, quam inaniter tyrannus ille præsumpserit, et quam potenter præsumptionem ejus sedes Romana punierit. » (Epist. CXLV, operum pag. 228, edit. Parisiis, 1667.)

Igitur persuasio fuit reginæ Eleonoræ, ac Petri Blesensis, Romano Pontifici jure divino competere veram potestatem in rem temporalem statuum. Ei siquidem tribuunt potestatem filium

Eleonoræ a vinculis liberandi, ex ea ratione quod ipsi in Petro *omne regnum omnisque potestas regenda commissa sit*, et quod apostolicas sedes *præjudicet imperatoriæ potestati*, et quod *leges imperatorum sacros canones sequi* debeant, et quod *gladius Petri antecellat gladio Constantini*.

§ 4. — Doctrina Hugonis a Sancto Victore (obiit anno 1140).

Hugo, monasterii Sancti Victoris canonicus regularis, theologiam Parisiis tanta fama docuit, ut novi *Augustini* nomine insignitus fuerit. Quomodo adinvicem sese habeant ecclesiastica et regalis potestas, exponit in hunc modum : « Illa igitur potestas sæcularis dicitur, ista spiritualis nominatur. In utraque potestate diversi sunt gradus et ordines potestatum : sub uno tamen utrinque capite distributi, et quasi ab uno principio deducti, et ad unum relati. Terrena potestas caput habet regem, spiritualis potestas habet summum pontificem. Ad potestatem regis pertinent quæ terrena sunt, et ad terrenam vitam facta omnia. Ad potestatem summi pontificis pertinent quæ spiritualia sunt, et vitæ spirituali attributa universa. Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive secularem potestatem honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet ut sit, et judicare habet si bona non fuerit. Ipsa vero a Deo primum instituta est; et cum deviat, a solo Deo judicari potest, sicut scriptum est, *spiritualis dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur*. Quod autem spiritualis potestas (quantum ad divinam institutionem spectat) et prior sit tempore, et major dignitate, in illo antiquo veteris instrumenti populo manifeste declaratur, ubi primum a Deo sacerdotium institutum est : postea vero per sacerdotium, jubente Deo, regalis potestas ordinata. Unde in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per bene-

dictionem, et formans per institutionem. Si ergo, ut dicit apostolus, qui benedicit major est, et minor qui benedicitur, constat absque omni dubitatione quod terrena potestas, quæ a spirituali benedictionem accipit, jure inferior existimetur. » (*De Sacramentis*, lib. II, parte II, cap. IV, edit. Rothomagi, 1648, t. III, p. 607.)

Ibi Ecclesiæ tribuitur aliqua vera auctoritas in potestatem regiam, ac proinde in rem temporalem societatum civilium. « Nam, inquit, spiritualis potestas terrenam potestatem *et instituere habet ut sit*, et *judicare si bona non fuerit.* » Hæc nempe manifestissima Hugonis doctrina : terrena potestas dependet ab Ecclesia ut *instituatur et sit*, et *Ecclesiæ judicio subjicitur* si bona non fuerit. Dum e contra spiritualis potestas, cum deviat, *a solo Deo judicari potest*. Igitur indubitata Hugoni Ecclesiæ jurisdictio in potestatem regiam ab officio suo deviam; indubitata proinde subordinatio regiæ potestatis relative ad potestatem spiritualem.

Quid ad hunc textum Bossuet? — 1° Opponit duos alios Hugonis textus, videlicet ubi dicit : *Spiritualis siquidem potestas non ideo præsidet ut terrenæ in suo jure præjudicium faciat* (*De Sacram.*, l. II, p. II, c. VII), et ubi ad justum judicium requirit, *ut negotia sæcularia a potestate terrena, spiritualia vero et* ECCLESIASTICA *a spirituali potestate examinentur* (ibid., c. IX). Sed hæc prorsus extra quæstionem. Etenim quæstio est, an Hugo, inter negotia *ecclesiastica* quæ a potestate spirituali judicanda esse docet, computaverit et istud : *Judicare potestatem terrenam si bona non fuerit.* Porro expresse spirituali potestati jus adscripsit et *instituendi terrenam ut sit*, et *eam judicandi* si devia fuerit. Quod spiritualis non debeat terrenæ *in suo jure præjudicium facere*, quis unquam negavit? Quod spiritualis debeat *spiritualia et ecclesiastica* judicare, et sæcularis *sæcularia*, persuasum quidem habuit Hugo; sed simul indubitatum ei fuit, terrenam potestatem, si bona non fuerit, judicandam esse a spirituali, ac proinde hujusmodi negotium

esse *ecclesiasticum* et ad jurisdictionem Ecclesiæ pertinens. — 2° Objicit Bossuetius Hugonem, ad adstruendum jus potestatis spiritualis instituendi et judicandi terrenam, recurrere ad exemplum Samuelis unctione sacra Saulem Regem constituentis, quæ Samuelis potestas extraordinaria fuit. Ex quo persuadere tentat Bossuetius, mentem Hugonis non fuisse, quod jure ordinario Ecclesiæ competat terrenam potestatem instituere, et judicare si bona non fuerit. Miserum sane sophisma. Quis enim scopus Hugonis in toto citato capite? Non aliud profecto quam edocere quænam spirituali potestati et quænam terrenæ subsint. Id ipse Bossuetius paulo ante adnotaverat his verbis : *Summa ergo doctrinæ est ambas potestates juribus officiisque discretas*, etc. Porro ea enumerando quæ ad Ecclesiam pertinent, ponit Hugo et istud : terrenam potestatem instituere, et judicare si bona non fuerit. Igitur quando recurrit ad factum Samuelis, perinde est ac si diceret : quæ fuit in hoc casu extraordinario potestas antiqui sacerdotii, ea Ecclesiæ tanquam ordinaria et proprium jus a Christo collata est. — 3° Contendit Bossuetius verba Hugonis, *in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per benedictionem, et formans per institutionem*, aliter necessario interpretanda esse, quam eo sensu, quod reges revera suam potestatem ab Episcopis consecrantibus reciperent; quia nempe si Hugo ita intellexisset, irrisus fuisset a contemporaneis, a Gallis potissimum. Nutat ea Bossuetii ratiocinatio falsitate duplici : videlicet, falsum factum allegat, et ex eo falsam deducit consequentiam.

Primo falsum est factum a Bossuetio assertum, videlicet, quod illo tempore generalis viguerit persuasio, reges potestatem suam non recipere per sacram unctionem et Ecclesiæ institutionem. Contrariam siquidem persuasionem documenta testantur. Nonnulla subjicimus. Sic Patres duodecimi Toletani concilii loquuntur de rege Ervigio, loco Vambæ ad regiam potestatem evecto : *Sub qua parte vel ordine serenissimus Ervigius*

Princeps regni conscenderit culmen, regnandique per sacrosanctam unctionem susceperit potestatem, ostensa nos Scripturarum evidentia edocet. (Conciliorum Mansi tom. XI, p. 1028.) Persuasum ergo Toletanis Patribus *regnandi potestatem per sacrosanctam unctionem suscipi.* — Scribebat ad Basilium imperatorem Ludovicus secundus Francorum Rex : *Ex qua* (Sede Apostolica) *regnandi prius, et postmodum imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum principes primo reges, deinde imperatores dicti sunt ii dumtaxat qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt.* (Apud Bianchi, della Potestà della Chiesa, t. II, p. 331, edit. Romæ, 1745.) Persuasum ergo Ludovico II, qui sane irrisus non fuit, reges Galliæ suam regnandi et imperandi potestatem initio recepisse a Sede Apostolica; nec alios regis aut imperatoris nomine nuncupatos fuisse, quam qui a Romano Pontifice *ad hoc* oleo sancto perfusi sunt. — Alter Francorum Rex, Carolus Calvus, ita coram Galliarum præsulibus protestabatur in concilio Tullensi : *Wenilo in diœcesi sua... me regem consecravit, et in regni regimine chrismate sacro perunxit..., et in regni solio sublimàvit; a qua consecratione, vel regni sublimitate supplantari vel projici a nullo debueram, saltem sine audientià et judicio episcoporum, quorum ministerio in regem sum consecratus, et qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit judicia. Quorum paternis correptionibus et castigatoriis judiciis me subdere fui paratus, et in præsenti sum subditus.* (Concilium Tullense ad saponarias, Labbe, t. VIII, p. 679, edit. Parisiis, 1671.) Dum contendit se non potuisse throno dejici *sine audientia et judicio Episcoporum*, hoc ipso, cum citato Hugone a Sancto Victore, spirituali potestati tribuit jus *terrenam judicandi si bona non fuerit.* Iterumque hoc jus spiritualis potestatis agnoscit, dum se subditum profitetur Episcoporum *correptionibus et castigatoriis judiciis.* — Jam si veteres rituales libros aperiamus, videbimus duo necessaria supponi ut quis regiam dignitatem adipisceretur, *electionem*

scilicet (quam in certis regionibus vel temporibus supplebat jus nativitatis) et *consecrationem*. Adeat lector cap. IX et X libri secundi *de Antiquis Ecclesiæ ritibus*, auctore Martene. Unum dumtaxat locum citabimus e manuscripto Arelatensis Ecclesiæ Pontificali, quod idem Martene ante annos 400 exaratum asseruit : « Cum rex benedicitur, episcopi qui adsunt debent ex seipsis facere coronam, habentes eum in medio suorum, accipiantque eum duo ex episcopis priores, offerentes eum metropolitano his verbis dicentes : *Reverende Pater, postulat mater Ecclesia ut præsentem militem ad dignitatem regalem sublevetis*. Tunc dicat metropolitanus : *Scitis illum esse dignum et utilem ad hoc ministerium?* Tunc respondeant illi : *Et novimus et credimus eum esse dignum et illustrem Ecclesiæ Dei*. Tunc respondeant omnes : *Deo gratias*. Inclinato eo, incipiat archiepiscopus consecrationem excelsa voce in modum orationis. » (Edm. Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, l. II, c. X, ordo 8, edit. Venetiis, 1783, t. II, p. 228.)

Ex ejusmodi collatis invicem monumentis, apud eruditos jam explorata res est, Hugonis a Sancto Victore tempore, et anterioribus sæculis, hanc generaliter viguisse catholicorum persuasionem : Principi quidem ex *electione* vel *jure nativitatis* (pro vario regionum aut temporum instituto) jus quoddam acquiri ad obtinendam potestatem regiam ; ita nempe ut eam non adipisceretur aut legitime exercere valeret, nisi accepta *consecratione*. Ei proinde, ante ritum sacrum, jus *in rem*, attributum fuisse, non jus *in re ;* quod posterius in ipsum ab Ecclesia dimanare existimabatur. Hanc ipsissimam generalem persuasionem expressit Hugo verbis apertissimis. Quæ si quis, ipso vivente, ad Bossuetianam interpretationem detorquere tentasset, irrisus procul dubio fuisset ab ipso Hugone, cæterisque contemporaneis, et a Gallis vel maxime. Falsum igitur factum contrariæ persuasionis, fidenter a Bossuetio (et cæteroquin omnino gratis, siquidem ne vel minimam probationem subministravit) assertum.

Secundo, ex falso illo facto, falsam Bossuetius consequentiam deduxit. Nam esto non potuerit Hugo terrenam potestatem spiritualis judicio subjectam docere, quin synchronorum reprobationem ac irrisiones in se concitaverit : si tamen ita docuerit, prout revera docuisse luce meridiana clarius ex contextu patet, sequeretur dumtaxat ipsum contra communem sententiam scripsisse. At non sequeretur, prout vult Bossuetius, ipsius verba non significare quod manifestissime significant, et interpretanda esse in contrario sensu, quem manifestissime excludunt. — 4° Tandem objicit Bossuetius, nullam ab Hugone mentionem factam de recenti depositione imperatorum Henrici IV et Henrici V. Quid vero inde? An sequitur eum non scripsisse quod scripsit, id est, ***terrenam potestatem, si bona non fuerit, judicandam esse a spirituali?*** Insuper quid mirum, in tractatu *de Sacramentis*, ubi breviter et per transennam utriusque potestatis objectum et officia edocet, eum non excurrisse in enarrandam imperatorum depositorum historiam? Adde ne id quidem asseri posse, Hugonem de hisce depositionibus non scripsisse, cum multa ejus scripta desiderentur, paucaque ad nos pervenerint.

Remanet ab Hugone certam edoceri veram Ecclesiæ potestatem in rem temporalem statuum.

§ 5. — Doctrinæ Joannis de Salisbury et Alexandri de Ales.

I. Joannes de Salisbury, anno 1172 Carnotensis Episcopus, interfuit Lateranensi concilio tertio, in quo depositus fuit imperator Henricus I. Ille porro Episcopus, non tantum ejusmodi depositionem probavit ac legitimam existimavit, sed factum istud tanquam idoneum ad compescendos pravos Principes commemoravit in hunc modum : « Et si historiarum non movetur exemplis (rex Angliæ), eum vel Fredericus exaugustus potest instruere, qui de fastigio Romani imperii, ob Ecclesiæ persecutionem, in paupertatem et ignominiam miser,

sed nulli miserabilis corruit. » (Epist. CXVIII. — Bibl. Patrum t. XXIII, f° 496.) — « Benedictus Deus qui misertus Ecclesiæ, contrivit auctorem schismatis illum detestandum sæculis Fredericum coram facie vestra, docens annum placabilem Domino et tempus miserationis jam advenisse : ut et vos qui gladium Dei videtis eductum in capita tyrannorum, in eos Petri gladium exeratis; satisque[1] quod constituti estis coadjutores Dei in exterminio eorum qui, ut stabiliant iniquas hominum traditiones, verbum Dei moliuntur extinguere. » (Ibid., Epist. CCXX.)

II. Alexander de Ales, e familia sancti Francisci, doctoris irrefragabilis titulo insignitus, in universitate Parisiensi theologiam docuit, discipulos habuit sanctum Thomam et sanctum Bonaventuram, obiitque anno 1245. Hæc ejus de præsenti quæstione sententia : « Duplex potestas, sæcularis et spiritualis. Sæcularis caput habet regem, spiritualis habet summum Pontificem. Spiritualis potestas prior est terrena sive sæculari; et dignitate, scilicet quia vita spiritualis dignior est quam terrena et spiritus quam corpus ; et institutione, quod patet per hoc quod in lege veteri primum a Deo sacerdotium institutum est, postea per sacerdotium jubente Domino regalis potestas ordinata est : et prior est etiam potestate; nam spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet ut sit, et judicare habet si bona non fuerit; spiritualis autem potestas primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari debet, unde spiritualis judicat omnia et ipse a nemine judicatur. Quod regalis potestas ordinata est et instituta per spiritualem, patet per hoc quia adhuc in Ecclesia sacerdotalis dignitas regalem potestatem sacrat, et sanctificans per benedictionem et formans per institutionem ; unde regalis potestas jure inferior existimatur. » (*Summa theologica*, pars IV, quæst. x, membrum 5, art. 2, *de Sacrificio missæ, verbo* et rege nostro, t. IV,

[1] Legendum *sciatisque*.

pag. 287, coloniæ Agrippinæ 1622.) Sunt eadem ferme verba quibus et Hugonem a Sancto Victore usum fuisse supra vidimus.

§ 6. — Doctrina sancti Ivonis Carnotensis Episcopi.

Textus. I. — Ad Henricum Angliæ regem scripsit in hunc modum : « Quia res omnes non aliter bene administrantur nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint studium, celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus verbum Dei in regno vobis commisso currere permittatis, et regnum terrenum cœlesti regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina. » (Epist. CVI, t. II, fol. 50, col. 1, edit. Paris. 1647.)

Ibi expresse docet sanctus Ivo terrenum regnum ecclesiasticæ potestati *subditum esse debere*. Nec objiciatur intellectam ab ipso fuisse subjectionem *in spiritualibus*. Nam dicit subjectum esse debere, « sicut sensus animalis subditus debet esse rationi. ». Porro adagium istud, *sensus a ratione regulandos esse*, ab omnibus intelligitur de regulatione sensuum quoad *proprios* eorum actus, id est, quoad *sensuales* ipsorum operationes. Igitur, cum eodem modo terrenum regnum subditum esse debeat, utique subesse debet quoad proprios suos actus, id est, quoad temporalia. Nec ideo actus quo Ecclesia terrenum regnum dirigit est actus terrenæ potestatis, sed remanet actus potestatis *spiritualis* et *ecclesiasticæ;* sicut actus quo ratio sensus regit, non est actus *sensualis*, sed remanet actus *rationis*.

Textus II. — Inter Ivonis scripta præcipuum est quo legum ecclesiasticarum codicem concinnavit, quodque *Decretum Ivo-*

nis inscribitur. In qua compilatione nihil de suo præter prologum et capitum inscriptiones inseruit. Ita ut totum opus constet citationibus seu excerptis, prout ipse præmonuit his verbis : « Excerptiones ecclesiasticarum regularum partim ex epistolis Romanorum Pontificum, partim ex gestis conciliorum catholicorum Episcoporum, partim ex tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex institutionibus catholicorum regum, nonnullo labore in unum corpus adunare curavi. » Porro inter illas excerptiones, quas tanquam *Ecclesiasticas regulas* adducit sanctus Ivo, citata occurrit ad Heriminannum Metensem Antistitem celebris sancti Gregorii VII epistola, in hunc scopum scripta ut probaret jure a se depositum imperatorem Henricum IV; et in qua insuper memorat idem sanctus Gregorius VII throno a Sede Apostolica dejectum Childericum Galliarum regem, et solutos a fidelitatis juramento ejus subditos. Ex qua epistola constat caput CCCLXXVIII, partis V collectionis, sic inscriptum : *Nullam dignitatem sæcularem, sed nec imperialem, honori vel dignitati episcopali posse adæquari.* Non totam epistolam inseruit Ivo, sed excerptum; et tamen in isto excerpto retinuit hunc epistolæ locum :

« Alius item Romanus Pontifex regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pepinum Caroli imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis absolvit. » Ex hoc documento sic colligendum venit :

Primo, si Bossuetius *regularum ecclesiasticarum* compilationem concinnasset, procul dubio locum hunc prætermisisset. At nondum nata Ivonis tempore *independentis* ab ecclesiastica terrenæ potestatis Bossuetiana novitas.

Secundo, ex eo quod sanctus Ivo dictam epistolam codici suo inseruerit, plane sequitur eam apud ipsum auctoritate valuisse, et a fortiori sanam et rectam ab ipso existimatam earumdem litterarum doctrinam.

Tertio, ex citatis in particulari de exauctorato Childerico verbis, merito colligitur sancto Ivoni non minus quam S. Gregorio VII indubitatam fuisse hancce Romani Pontificis reges deponendi potestatem. Cum enim, pro scopo sui operis, documenta non citet integra, sed eas dumtaxat partes quas ad rem facere existimat, si putasset supra citatum locum Epistolæ sancti Gregorii VII a vera et orthodoxa doctrina exorbitare, illum procul dubio prætermisisset. Igitur indubitata Ivoni Ecclesiæ potestas in rem temporalem statuum. At, si Bossuetio credas, non alia fuit Ivonis doctrina, quam primi e quatuor articulis anni 1682. En ejus cavillationes :

Prima objectio Bossuetii. — Potest sic contrahi : scopus Ivonis erat ut spiritualem potestatem ostenderet *dignitate* superiorem, ut probat capitis titulus. Ergo non censendus est approbasse Gregorii VII epistolam, nisi in quantum exprimit illam *dignitatis* superioritatem ; non autem quoad alia.

Respondetur. — Cum S. Ivo ad probandam dignitatis Papalis superioritatem alleget depositum a Papa fuisse Childericum Regem, hoc ipso supponit non defuisse Papæ sic regem illum deponendi potestatem. Nimirum ex eo quod Papa regem deponere potuerit, merito concludit superiorem Pontificiam *dignitatem*. At vero si depositionem illam, auctoritate Papæ factam, illegitimam et abusivam existimasset, stolide factum istud allegasset. Quomodo enim usurpatio probare unquam poterit superiorem usurpatoris *dignitatem?* Miserum sane hoc Bossuetii effugium.

Objectio secunda Bossuetii. — Dicit positum ab Ivone de exauctorato Childerico locum, *ne textum mutilaret.*

Respondetur. — Textum, id est, S. Gregorii VII epistolam mutilavit S. Ivo, siquidem magnam ejus partem prætermisit. Potuisset totam de regibus et imperatoribus depositis enumerationem omittere ; ac procul dubio prætermisisset, si erroris monstrum ibi re·ondi existimasset, prout existimavit Bossuetius. Cum ergo rejectis aliis epistolæ locis, illum inserat, or-

thodoxum et ad rem suam facientem reputavit. Fingit nempe Bossuetius solitum Ivonem documenta integra transcribere. Id prorsus falsum. Ipsi e contra solitum loca intermedia quæ ad scopum ejus non faciunt resecare; de quo præmonet per verba *item* vel *et infra*, dum per saltum, post unum transcriptum locum, pergit ad alium, omissis intermediis; prout videre est, verbi gratia, capite ccclm partis V.

Objectio tertia Bossuetii. — Apud Gratianum, citatus locus sancti Gregorii VII habetur capite separato, sub hac rubrica : *A fidelitatis etiam juramento Romanus Pontifex nonnullos absolvit, cum aliquos a sua dignitate deponit.* Ex eo quod sanctus Ivo locum istum sic seorsim et sub simili titulo non posuerit, concludit Bossuetius admissam ab ipso non fuisse Romani Pontificis reges deponendi potestatem.

Respondetur. — Si valeret ratiocinium, probaret nec ab Ivone admissam Romani Pontificis potestatem reges excommunicandi. Siquidem neque de hoc speciale capitulum excripsit, prout Gratianus. — Absonum prorsus ratiocinium. Nam ex eo quod unus collector documentum aliquod non dividat in plura capita, sicut alter canonista posterior, et ex eo quod titulus a priore præfixus sit generalior, non sequitur a priore collectore admissam non fuisse doctrinam documenti quod citat; præsertim quando citatio, nisi probet titulum particularem, nec generaliorem probare valeat, sed omnino stolida sit, prout in præsenti casu. Vult nempe probare Ivo *dignitatem* Ecclesiasticam esse *majorem* dignitate regia. Quod ut probet allegat regum et imperatorum auctoritate Pontificia depositiones. Quid, quæso, probarent istæ depositiones quoad superioritatem dignitatis ecclesiasticæ, si forent illegitimæ ac nullæ, et detestandæ usurpationes?

Quarta objectio Bossuetii. — Dicit Bossuetius, alibi ab Ivone citata fuisse hæc sancti Isidori Hispalensis verba : *Populi peccantes judicem metuunt : reges autem nisi solo Dei timore metuque gehennæ coerceantur, libere in præceps ruunt.* His porro

verbis excludi Pontificiam reges deponendi potestatem; ergo eam potestatem ab Ivone non admissam.

Respondetur. —Isidori verba nequaquam Romani Pontificis reges deponendi potestatem excludunt. Nam supposita etiam illa potestate, verum remanet reges, nisi metu gehennæ coerceantur, *in præceps ruere*. Enimvero pravis regibus depositio timenda non est nisi in rarissimo casu quo, sive persecutione sive aliter catholicam fidem suis in regnis in discrimen adducerent. Extra hunc casum, licet privatim in flagitia quæque ruant, non est locus depositioni seu coercitioni per Pontificiam auctoritatem. Cumque non sit alius qui eos efficaciter coercere valeat, merito hoc ingens damnationis periculum eis indigitat sanctus Isidorus. — Imo etiam in rarissimo casu quo *de jure* contra ipsos procedere posset summus Pontifex ad præcavendam rei catholicæ ruinam, nisi metu gehennæ coerceantur, de facto plerumque impossibilis evadet ejusmodi per Romanum Pontificem coercitio. Quia nempe nec ipse se subjiciet, nec alii Principes facile inducentur ad præstandum brachii sui sæcularis auxilium. Hæc inania Bossuetii effugia quoad secundum Ivonis textum. Quid autem opposuit priori, hoc est, Ivonis epistolæ ad Angliæ Regem? Prorsus nihil. Silentio prætermisit. Incunctanter autem Ivonem propugnatorem asseruit ipsissimæ doctrinæ, in primo quatuor articulorum anni 1682 contentæ.

§ 7. — Doctrina sancti Thomæ et sancti Bonaventuræ.

Ambos conjungimus, tum quia synchroni, tum quia uterque splendidum sidus Universitatis Parisiensis.

I. *Sanctus Bonaventura.* — « Jam vero possunt Sacerdotes et Pontifices ex causa amovere reges, et deponere imperatores, sicut sæpius accidit et visum est; quando scilicet eorum malitia hoc exigit et reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex penes quem in terris prima residet auctoritas,

non a rege, non a principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur. » (*De ecclesiastica hierarchia*, parte II, c. I.)

II. *Sanctus Thomas.* — De quo Cardinalis Duperron : « Qui, pour avoir pris la qualité de docteur en France, et pour avoir étudié, lu et écrit tant de temps en France, doit être compté entre les docteurs françois, et qui pour avoir été prince et avoir eu l'honneur d'être parent de saint Louis, et d'être caressé de lui, et manger souvent à sa table, doit être moins suspect aux princes. Cestuy-ci donc, en sa *Somme*, qui est le résultat de tous ses autres écrits et comme son testament et sa dernière volonté, et qui a toujours été lue publiquement et, s'il se peut dire, adorée en l'École de Paris, dit nommément » (*Harangue du cardinal Duperron aux états de* 1615, édition de Paris, 1615, page 39) :

Textus I. — « Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas... Et ideo quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus et juramento fidelitatis quo ei tenebantur. » Ibi sanctus Thomas sibi objicit christianos milites qui, teste S. Ambrosio, obedientiam præstabant Juliano apostatæ. Ad quod respondet : « Dicendum quod illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos principes compescendi ; et ideo toleravit fideles Juliano apostatæ obedire in his quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur. » (IIª IIæ, q. XII, a. 2.)

Textus II. — « Considerandum est quod dominium vel prælatio introducta sunt ex jure humano : distinctio autem fidelium vel infidelium est de jure divino : jus autem divinum quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est naturali ratione. Ideo distinctio fidelium et infidelium secundum se considerata non tollit dominium et prælationem infidelium

supra fideles. Potest tamen, juste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii vel prælationis tolli; quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit. » (IIª IIæ, q. x, art. 10.)

Certum est in his textibus *infidelium* denominatione comprehendi a sancto Thoma etiam hæreticos; prout videre est articulo 6 quæstionis x (2, 21), ubi infidelitatem paganorum, judæorum et hæreticorum simul conferens, quoad peccati gravitatem, ita concludit : *Unde simpliciter loquendo infidelitas hæreticorum est pessima.*

Textus II. — « Dicendum quod potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est usurpatum judicium si spiritualis prælatus se intromittat *de temporalibus* quantum ad ea in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei a sæculari potestate relinquuntur. (IIª IIæ, q. LX, art. 6 ad tertium.)

Sibi objicit angelicus doctor hoc modo : « Potestas spiritualis est altior quam sæcularis. Si ergo majori potestati magis est obediendum, prælatus spiritualis semper absolvere poterit a præcepto potestatis sæcularis, quod est falsum. »

Cui difficultati sic respondet : « Dicendum quod potestas spiritualis et sæcularis utraque deducitur a potestate divina : et ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his quæ ad salutem animæ pertinent : et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali quam sæculari. In his autem quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari quam spirituali, secundum illud Matthæi : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; nisi forte potestati spirituali etiam sæcularis potestas conjungatur, sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis et sæcularis; hoc illo disponente qui est sacerdos et rex in æternum, secundum or-

dinem Melchisedech, rex regum et dominus dominantium, cujus potestas non auferetur et regnum non corrumpetur in sæcula sæculorum. Amen. » (In secundum lib. Sententiarum, ultima distinctione, articulo ultimo.)

Nota. Num tractatus *De regimine Principum* auctorem habeat sanctum Thomam, haud plane liquet. Quia tamen ipsi a multis tribuitur et ejusdem ævi est, merito hic in testimonium adducitur. Ibi porro sic legere est libro III, capite x : « Sed dominii plenitudo ostenditur cum ultimo dicitur : Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et, etc... Quod si dicatur ad solam referri spiritualem potestatem, hoc esse non potest; quia corporale et temporale ex spirituali et perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ. Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem, et operationem...., ita et temporalis jurisdictio principum per spiritualem Petri et successorum ejus. Cujus quidem argumentum assumi potest per ea quæ invenimus in actis et gestis summorum pontificum et imperatorum... Primo quidem de Constantino apparet qui Sylvestro in imperio cessit. Item de Carolo Magno quem Papa Adrianus imperatorem constituit. Item de Ottone I qui per Leonem creatus et imperator est constitutus, ut historiæ referunt. Sed ex depositione principum, auctoritate apostolica facta, satis apparet ipsorum potestas. Primo enim invenimus de Zacharia hanc potestatem exercuisse super regem Francorum, quia ipsum a regno deposuit et omnes barones a juramento fidelitatis absolvit. Item de Innocentio III qui Ottoni IV imperium abstulit. Sed et Frederico II hoc idem accidit per Honorium... Quamvis in omnibus istis summi Pontifices non extenderunt manum nisi ratione delicti, quia ad hoc ordinatur eorum potestas, et cujuslibet Domini, ut prosint gregi. »

Capite xix ostendit pluries a Sede Apostolica immutatam imperii Romani constitutionem. Et loquens de ultima forma qua donatum fuit a Gregorio Papa V, ita subdit : « Et tantum

durabit quantum Ecclesia Romana, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit. In quo casu..., videlicet pro bono statu universalis Ecclesiæ, videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis. »

Evincunt citati textus, sanctis Bonaventuræ ac Thomæ indubitatam fuisse aliquam Ecclesiæ in rem temporalem statuum potestatem.

§ 8. — Doctrina Beati Augustini Triumphi, qui et Augustinus de Ancona dictus est.

Augustinus Triumphus, ordinis fratrum eremitarun Sancti Augustini, ob locum originis *Anconitanus* vocari solitus, sancti Thomæ discipulus et amicus, Parisiensis universitatis doctor, quique interfuit Lugdunensi concilio anni 1274, adeo sanctam vitam egit ut Beatorum albo adscribi meruerit. Inter plura ejus opera, præcipuum est quod ex mandato Joannis Papæ XXII composuit, eidemque Pontifici dedicavit, inscriptum *De potestate ecclesiastica*, complectens quæstiones cxii, in articulos 470 divisas. Typis editum fuit Romæ anno 1479, cura religiosi cujusdam dicti ordinis, prout videre est in ejusdem editionis prologo. Beatum Triumphum cum veneratione sanctus Antoninus Florentinus archiepiscopus, aliique sequaces citare solebant. Ast ex quo invaluit gallicanismi novitas, paulatim opus atque auctorem involvit oblivio. Ut adeo difficile nunc reperiri possit Beati Triumphi tractatus *De potestate ecclesiastica*. Hac de causa, necnon etiam ob viri sanctitatem et auctoritatem, paulo uberiora excerpta subjiciemus. An autem, ut nonnulli volunt, veritatis metam excesserit, expendemus ultima præsentis partis sectione.

Excerptum ex epistola dedicatoria. — « Sanctissimo ac reverendissimo in Christo Patri ac Domino Johanni divina providentia Papæ XXII, frater Augustinus de Ancona, ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini, cum omni famulatu et

reverentia post pedum oscula beatorum.— Quamvis Dei Filius, humani generis naturam assumens, infirma mundi elegerit ut fortia quæque confunderet, ecclesiasticæ tamen potestatis altitudinem suos fideles latere noluit. Quin imo tanquam supra petram fundatam ipsam esse supra omnem principatum et potestatem, ut ei genua cuncta curventur cœlestium, terrestrium et infernorum, verbis apertissimis declaravit. Unde error est, ut puto, pertinaci mente non credere, Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ pastorem, Petri successorem, et Christi legitimum vicarium, supra spiritualia *et temporalia universalem habere primatum.* »

Excerptum ex articulo primo quæstionis primæ. — « Primo utrum sola potestas Papæ sit a Deo immediate et nulla alia.— Ad primum sic proceditur : videtur enim quod sola potestas Papæ non sit immediate a Deo. Quia quæ non sunt ejusdem rationis, unum non reducitur ad alterum. Sed potestas Papæ et potestas sæcularium principum non sunt ejusdem rationis; ergo videtur quod utraque sit immediate a Deo et una non reducatur ad aliam. — Præterea potestas imperialis immediate est a Deo, quia sicut dicitur XXIII, q. IV, a Deo concessa est potestas imperialis, et propter vindictam noxiorum gladius fuit permissus. Ergo videtur quod talis potestas non sit a Papa nec ab homine, et per consequens immediate a Deo. — Præterea quæ distincta sunt in se et ad distinctos fines ordinantur, unum non est ab altero; imo immediate reducuntur ad aliud tertium. Sed potestas spiritualis et potestas sæcularis sunt distinctæ in se et ordinantur ad distinctos fines... Ergo istæ duæ potestates sunt immediate a Deo. —In contrarium est... — Respondetnr dicendum quod, dimissis opinionibus, ad quæstionem sic puto esse respondendum : quod, loquendo de potestate jurisdictionis temporalis et spiritualis, dicere possumus quod talis potestas est triplex : scilicet immediata, derivata, et in ministerium data. Prima potestas jurisdictionis omnium spiritualium et temporalium est solum in Papa. Se-

cunda potestas est in omnibus Episcopis et prælatis. Tertia potestas jurisdictionis temporalis est in omnibus imperatoribus, regibus et principibus sæcularibus... Loquendo de potestate jurisdictionis tam spiritualium quam temporalium, talis est in Papa immediate, quod probatur tripliciter :... Sed quod potestas temporalis imperatorum, regum et aliorum principum sæcularium *sit in ministerium data a Deo Papæ* et aliis prælatis Ecclesiæ in quibus residet potestas spiritualis, probatur quantum ad præsens quatuor rationibus. — Primo sic : illa potestas est data ad ministerium alteri, per quem habet institui, regulari, ordinari atque confirmari, si bona sit; et per quem habet judicari et condemnari, si non bona sit. Sed talis est potestas sæcularis imperatorum, regum et principum, quæ per potestatem Papæ habet institui, regulari et ordinari, si bona est; et per ipsam habet condemnari et judicari si bona non sit. Ergo talis potestas non est immediate a Deo, sed est in ministerium potestatis spiritualis data. Utrumque membrum probatur. Scribitur enim XXII distinctione, quod potestas Papæ cujuslibet ordinis dignitatem et gradum instituere habet; ipsam vero solus Christus fundavit et supra petram fidei mox nascentis erexit, quando Beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul et cœlestis imperii jura commisit. Quod vero habeat omnem potestatem sæcularem judicare et deponere si non bona sit, patet XV, q. VI, ubi dicitur quod Zacharias Papa Romanus Pontifex regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus quam etiam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pipinum patrem Caroli imperatoris loco ejus instituit. — Secundo sic : illa potestas est in ministerium data alteri, cui juramentum fidelitatis præstat, et ab eo cognoscit omne quod habet. Sed omnis potestas sæcularium principum, imperatorum et aliorum, est talis. Dicitur enim (LXIII distinctione, canone *Tibi domino*) quod imperator jurat summo Pontifici nunquam mandatum præterire, et sibi in omnibus fidelitatem servare. Ergo talis

potestas est sibi solum in ministerium data. Et si inveniat quis aliquos imperatores dedisse aliqua temporalia summis Pontificibus, sicut Constantinus dedit Sylvestro, hoc non est intelligendum eos dare quod suum est, sed restituere quod injuste et tyrannice ablatum est. Eodem modo, si legat quis aliquos summos Pontifices dare bona temporalia imperatoribus et regibus, hoc non est intelligendum eos facere in dominii recognitionem, sed magis in pacis ecclesiasticæ conservationem; quia servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. — Tertio sic : illa potestas est in ministerium data alteri, quæ est subdelegata respectu ejus. Sed omnis potestas imperatorum et regum est subdelegata respectu potestatis Papæ. Nam (ut dicitur XI, q. 1, c. *Quicumque litem habens*) cuilibet licitum est sacrosanctæ sedis antistitis judicium eligere. Ergo omnis potestas sæcularis est in ministerium data potestati spirituali. — Quarto sic : illa potestas est in ministerium data alteri, quæ est restringenda, amplianda et executioni mandanda ad imperium illius cui est in ministerium data. Sed talis est omnis potestas sæcularis. Dicit enim Bernardus... Potestas ergo jurisdictionis spiritualium et temporalium *immediata* est in solo Papa. *Derivata* vero est in omnibus Episcopis et Prælatis. Sed in omnibus sæcularibus et principibus *est in ministerium data*. Et ista est conclusio quam nunc ad præsens teneo de quæstione. — Ad primum nunc ergo dicendum... — Ad secundum est dicendum quod verum est potestatem imperialem esse a Deo, quia non est a Papa ut est homo, sed a Papa ut gerit vicem Christi in terra, qui fuit verus Deus et verus homo. — Ad tertium est dicendum quod prædictæ potestates sunt distinctæ, quia non conveniunt uni eodem modo. Quia potestas jurisdictionis spiritualium convenit Papæ secundum immediatam institutionem et executionem. Sed potestas jurisdictionis temporalium convenit sibi secundum institutionem et auctoritatem, non tamen secundum immediatam executionem, nisi forte in

quibusdam casibus qui notantur (*Extr.* Qui sint legitimi, *c.* Per venerabilem). »

Excerptum ex articulo VIII *quæstionis primæ.* — « Utrum potestas Papæ sit simul temporalis et spiritualis. —Ad octavum sic proceditur : videtur enim quod in Papa non sit potestas corporalis et spiritualis, quia scribit Matth. XXII : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo. Sed Papa gerit vicem Dei in terris. Ergo ad ipsum pertinet cura spiritualium tantum. Et ad Cæsarem vel imperatorem pertinet cura temporalium. Præterea... — In contrarium est, quia qui potest in majus, potest in minus. Sed majus est posse in spiritualia quam in corporalia et temporalia. Ergo cum Papa habeat potestatem super spiritualia, habet etiam potestatem super temporalia. — Respondetur dicendum, quod bona temporalia et spiritualia ad tria possunt comparari : primo ad eorum productionem ; secundo ad eorum ordinationem ; et tertio ad eorum motionem vel actionem. Et secundum ista tria tribus rationibus ostendi potest in Papa esse potentia super omnia bona temporalia et corporalia. — Et primo quidem propter eorum productionem, quia non ab alio producta sunt temporalia et ab alio spiritualia, ut manichæi putaverunt, sed ab eodem Deo a quo producta spiritualia, ab eodem etiam producta sunt corporalia et temporalia. Ergo Papa qui gerit vicem Dei in terris, ex quo habet potestatem spiritualium, habebit similiter rerum potestatem temporalium et corporalium. Secundo hoc patet propter eorum ordinationem. Ordinantur enim ipsa bona temporalia et corporalia ad bona spiritualia tanquam organa et tanquam instrumenta... Componitur enim homo ex anima et corpore. Unde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam et est instrumentum ejus, mediante quo exercet operationes suas, sic ipsa bona temporalia ad bona spiritualia ordinantur mediante Papa. Papa ergo qui habet providere suis fidelibus de spiritualibus, habet eodem modo providere de temporalibus et corporalibus, sine quibus spi-

ritualia in vita ista politica exerceri non possunt. Unde apostolis dicentibus : Dimitte turbas ut sibi emant escas, Dominus respondit : Non habent necesse ire : date vos illis manducare. Tertio... — Ad primum ergo est dicendum, quod per illud dictum : Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, non subtrahitur potentia temporalium a Papa; sed datur intelligi quæ esse debeat justitia legalis, ut unicuique reddat quod suum est. Modo quo dicit apostolus (ad Romanos XIII) : Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, et cui timorem timorem. Imperantibus autem et regibus reddenda sunt corporalia, quasi pro stipendiis ipsorum, quia ministri Dei sunt, ut dicit apostolus. Tenentur enim Ecclesias Dei defendere et christianum populum et rempublicam in pace conservare. Pro quo ministerio stipendiandi sunt thesauro Ecclesiæ corporali; quia quodam jure naturæ et divino, pro tali ministerio debetur eis tale stipendium temporale... Ergo ex tali jure regum et imperatorum accipiendi stipendia non arguitur Papam non habere potestatem temporalium et corporalium, sed potius oppositum; quod sunt reges et imperatores quasi ministri et stipendiarii ipsius Papæ et ipsius Ecclesiæ, et per eum stipendiandi sunt thesauro corporali ipsius Ecclesiæ, pro pace et defensione ejusdem, secundum taxationem ipsius. Nec aliter sunt in statu salutis, si ultra stipendia eis taxata volunt bona temporalia a fidelibus subripere. »

Excerptum ex articulo 2 *quæstionis* XX. — « Utrum per potestatem clavium Papa præsit temporalibus et spiritualibus. — Ad secundum sic proceditur : videtur enim quod Papa per potestatem clavium non præsit spiritualibus et temporalibus. Quia potestate clavium non aperitur nisi regnum cœlorum, potestas vero temporalis aperit regnum terrenum. Non ergo Papa præest temporalibus potestate clavium... — Respondetur dicendum, quod sicut duplex est vita, temporalis et æterna, ita duplex regimen animæ et spiritualis naturæ de-

rivatur in corpora : primo quidem in præsenti vita temporali per virtuosam operationem; quia deserviunt ipsa corporalia et temporalia animæ et spirituali naturæ ad virtuosa opera tanquam organa et instrumenta... Regimen igitur spiritualis naturæ, in præsenti vita temporali, derivatur in corpora per virtuosam operationem. In vita vero æterna derivabitur in corpora per glorificationem... Per potestatem ergo clavium, quæ spiritualis est, Papa præest spiritualibus et temporalibus membris Ecclesiæ. — Ad primum ergo dicendum, quod potestate clavium aperitur regnum cœlorum, et regnum terrenum per ejus institutionem, et confirmationem si rite et juste administretur, per ejus depositionem et condemnationem si ab aliquo injuste usurpetur vel male administretur. »

Excerptum ex articulo 4 quæstionis XXVI. — « Utrum Papa debeat punire tyrannos pœna temporali, vel spirituali solum. — Ad quartum sic proceditur. Videtur enim quod Papa non debeat tyrannos punire pœna temporali, sed spirituali solum. Scribitur enim... Præterea dicit Gregorius, et ponitur XIII, q. VIII : *Si in morte Longobardorum me immiscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regna nec ducem haberet. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miscere formido.* Papa ergo tyrannos non debet punire pœna temporali sed spirituali. — Respondeo dicendum quod ordo divinæ justitiæ requirit ut secundum multiplicationem culparum fiat multiplicatio pœnarum... Est autem in Ecclesia duplex unitas : una membrorum ad invicem, alia membrorum ad caput, ut supra dictum est. Si ergo tyranni inveniantur turbare primam unitatem, propter eorum tyrannicam violentiam puniendi sunt pœna spirituali. Sed si in tantum progressi fuerint malum, ut velint perturbare unitatem secundam per eorum manifestam resistentiam, puniendi sunt pœna temporali. Dicit enim Augustinus, in libro III *de vera Religione*, quod quanto homines dulcedine bonorum inferiorum magis decipiuntur, tanto magis amaritudine pœnarum debent erudiri...

— Ad secundum est dicendum, quod Papa et alii Prælati non debent se immiscere in morte hominis per immediatam executionem, ut propria manu pugnent et interficiant, quia arma eorum militiæ principaliter sunt spiritualia, non carnalia. Sed mediante potestate sæculari possunt et debent de tyrannis et turbantibus pacem Ecclesiæ justitiam exercere. Dicit enim Augustinus, in epistola ad Vincentium : In tali primitus sententia eram, neminem ad unitatem Christi esse cogendum. Verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos catholicos haberem quos apertos hæreticos noveram. Sed hæc opinio mea, non contradicentium tantum, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam proponebatur mihi civitas mea, quæ cum tota esset in potestate Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conversa est. Quam nunc videmus ita illius animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. »

Excerptum ex articulo 4 quæstionis XXXVI. — « Utrum imperator in dominio temporalium sit major Papa. — Ad quartum sic proceditur : videtur enim quod imperator sit major Papa in dominio temporalium. Dicit enim Nicolaus Papa, et ponitur XCVI dist. can. *Cum ad verum :* quod ultra nec imperator sibi jura Pontificatus arripiat, nec Pontifex jura imperatorum usurpet. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit. Sed si Papa diceretur major imperatore in temporalibus, usurparet jus ejus. Ergo nec debet dici major ipso in tali dominio. — Præterea juramentum fidelitatis præstatur ipsis regibus et imperatoribus cum accipiunt administrationem temporalium. Non autem tale juramentum præstatur Papæ. Ergo in dominio temporalium Papa non est major imperatore vel quocumque Rege. — Præterea Beatus Ambrosius dicit (et ponitur XXIII, q. VIII, c. *Convenior*) : Temporalia imperatorum *sunt; ad imperatoris palatia pertinent.*

Ad Sacerdotem vero Ecclesiæ. In temporalibus ergo imperator est major Papa. — In contrarium est... — Respondeo dicendum quod Hugo, in decreto supra allegato *Cum ad verum*, tria videtur dicere de dominio imperiali et papali contraria supradictis. *Primo* namque dicit quod imperator potestatem gladii et dignitatem imperialem non recepit ab Apostolico, sed a principibus et populo per electionem. Cujus contrarium supra determinatum est. Quidquid enim fuerit de imperatoribus præteritis, modernorum tamem imperatorum electio planum est quod pertinet ad summum Pontificem, vel immediate per seipsum, vel per electores quos ipse summus Pontifex ordinavit. *Secundo* dicit quod ante fuit imperator quam Papa, et dictæ potestates, imperialis et Apostolica, sunt discretæ et diversæ. Quorum utrumque indiget distinctione. Verum est namque imperatorem fuisse ante Papam, quantum ad personam; sed non quantum ad officium et figuram. Successit enim Papatus et sacerdotium Christi sacerdotio levitico... Nec dictæ potestates sunt ita discretæ et diversæ, quod una non reducatur ad aliam. Utraque enim est a Deo, imperialis et Apostolica. Sed Apostolica et sacerdotalis immediate : imperialis vero mediante Apostolica et sacerdotali. *Tertio* dicit quod Papa est major imperatore in spiritualibus; sed imperator est major Papa in temporalibus. Sed si sic esset, pari ratione imperator posset dici major Christo in temporalibus. Non enim est imperator major Papa in temporalibus nisi propter immediatum usum et immediatam executionem temporalium, secundum quem modum imperator major Deo dicitur. Quia Deus non habet immediatum usum et immediatam executionem temporalium. Non enim ipse manducat carnes taurorum aut sanguinem hircorum potat, nec equitat equos præcedente turba famulorum et armatorum, et tamen ipse dicit in psalmo, ubi ista leguntur : Meus est orbis terræ et plenitudo ejus. Et dominum universorum se nominat. Nec quia cœlos sibi reservavit, terram autem concessit ad usum filiis

hominum (secundum illud psalmi : Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum), propter hoc dicendum est quod filii hominum sint majores Deo in terrenis, et Deus sit major homine in cœlestibus. Quod enim simpliciter dicitur, sine additamento dicitur. Et ideo sicut Deus Dominus universorum et temporalium et spiritualium quantum ad universalem jurisdictionem, sic Papa, vicarius ejus, in spiritualibus et temporalibus est major quocumque alio rege vel imperatore. — Ad primum ergo est dicendum quod Papa non debet usurpare immediatam executionem vel administrationem temporalium, ne propter talem executionem implicet se negotiis sæcularibus. Sicut nec imperator immediatam executionem spiritualium debet habere. Tunc enim illa abusio oriretur, quod carnalis homo in rebus divinis præsidere videretur, et spiritualis homo carnalibus implicaretur. Sed ex hoc non subtrahitur dominium temporalium ipsi Papæ, quin in delictis et violentiis non possit imperatores et reges corrigere, et eos dominio temporalium privare, si contingat eos fore facere. — Ad secundum est dicendum, quod juramentum fidelitatis ab Episcopis non debet præstari regibus, quod ab eis recognoscant temporalium immediatam jurisdictionem. Tale enim juramentum solum præstandum est Papæ, qui super temporalia et spiritualia hujusmodi jurisdictionem universalem habet in toto orbe. Sed bene potest eis præstari juramentum ut ab eis recognoscant immediatam temporalium executionem vel administrationem, potissime in terris et regnis ubi Ecclesia immediatam administrationem temporalium non habet. — Ad tertium est dicendum quod Ambrosius intelligit temporalia esse imperatorum quantum ad usum et executionem, non quantum ad universalem dominationem et transmutationem. Dei enim solius et Vicarii Jesu Christi est tale dominium; quia ad eum spectat temporalia et regna terræ transmutare et ordinare. »

Quæstione XLVI Papæ jus adscribit Beatus Augustinus Trium-

phus, reges cum malefaciunt corrigendi; eos cum causa subest deponendi, et regem in aliquo regno instituendi.

§ 9. — **Doctrina aliorum vigintitrium e celeberrimis Galliæ doctoribus.**

I. *Henricus Gandensis.* — Fuit is Sorbonæ professor, archidiaconus Tornacensis, dictusque *Doctor solemnis.* Obiit anno 1295. Sic legere est in ipsius *theologia quodlibetana :*

« Sacerdos apostolicus se habet ad reges et principes sicut architectus civilis ad alios artifices in civitate. Sicut enim architectonis civilis est præcipere qui et quales debeant exercere scientiam medicinæ, rhetoricam et alias artes, sic sacerdos apostolicus debet considerare qui et quales regna et principatus regere debeant, et bonos honorare, malos autem et male regentes deponere et alios loco illorum substituere. » (Citatum a Paramo, *de Origine inquisitionis*, l. III, q. I, opinio 3, nº 26, — edit. Matriti 1598, p. 451.)

II. *Henricus de Suza.* — Is ab Episcopatu Sisteronensi ad Archiepiscopatum Ebredunensem translatus fuit anno 1250. Postea vero Cardinalis et Episcopus Ostiensis creatus est; ex quo ipsi *Ostiensis* nomen inditum. Insignis canonistæ famam sibi comparavit, in tantum ut ejus opus *Summa aurea* nuncupatum sit. Sic habet titulo *de Hæreticis*, § *qua pœna puniantur*, n. 11 :

« Nota quod domini temporales, non solum propter suam hæresim, sed etiam aliorum, quod cum possunt admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, et terræ ipsorum exponi catholicis occupandæ. Idem si princeps negligens inveniretur circa regimen et justitiam faciendam : unde Zacharias Papa deposuit Childericum regem Francorum. » (Citatum a Bellarmino, *in Barclaium*, sub initium tomi I, edit. Milani 1721.)

III. *Guillelmus Durandus*, Mimatensis Episcopus anno 1286, dictus *Speculator*, eo quod ejus opus *Speculum juris* inscriptum sit.

« Papa deponit imperatorem propter ipsius iniquitates, et dat (Principibus) curatores ubi ipsi sint inutiles ad regendum. » (*Speculum*, lib. I, tit. *de Legato*, § *Nunc ostendendum*, n. 17.)

IV. *Ægidius Romanus.* — Vocatus etiam *Ægidius Columna* (Gilles de Rome), discipulus sancti Thomæ, et Universitatis Parisiensis doctor, ordinis Eremitarum Sancti Augustini generalis præpositus, postea factus Bituricensis Archiepiscopus et Aquitaniæ primas, anno 1264. Obiit anno 1316. Sic habet in suo tractatu *de Potestate ecclesiastica :* « Causæ mixtæ, sunt causæ temporales quæ connexionem quamdam habent cum spiritualibus : sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento vel pacto; sicut patet de dissensione mota inter reges Franciæ et Angliæ, super comitatu Pictaviensi. Papa quia non poterat directe cognoscere de causa feudali, indirecte ratione juramenti vel pacti intromisit se de illa (Extrav. *De judiciis* cap. *Novit*). Et sic rex Franciæ secundum jura non subest summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo sui; *potest tamen ei subjacere incidenter et casualiter ratione connexionis alicujus causæ spiritualis*, sicut habetur Extrav. *de judiciis*, cap. *Novit.* » (Apud Bianchi, *Potesta della Chiesa*, tom. I, pag. 96, Romæ 1745.)

« Sed dicet aliquis quod reges et principes spiritualiter, non temporaliter subsint Ecclesiæ? sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt : nam si solum spiritualiter reges et principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio, non essent temporalia sub spiritualibus, non esset ordo in potestatibus, non reducerentur infima in suprema per media. » (*De Potestate ecclesiastica*, parte I, c. XXX. Citatum a Bellarmino, *adversus Barclaium*, edit. Venetiis, 1721, t. V, p. 26.)

V. *Rodolphus Columna.* — Is Carnotensis canonicus fuit, et edidit tractatum *de Translatione imperii*. Ibi postquam memoravit depositum a summo Pontifice Zacharia Childericum re-

gem, et retulit interpretationem Glossæ, *deposuit*, *id est*, *deponentibus consensit*, ita subdit : « Sed qualitercumque dicatur, sive ut prædicta Francorum narrat historia, sive ut *Alius* (loquitur de capite *Alius*, xv, q. vi) supra allegatus, salva semper in omnibus veritate, credo auctoritatem Papæ in talibus omnibus negotiis præsupponi, ex eo quod omnis potestas ex eo in hoc dependet. » (*De Transl. imperii*, cap. iv, in collectione *Monarchia S. Romani imperii*, t. II, pag. 91, edit. Francofordii 1614. Habetur exemplar Parisiis in bibliotheca Sorbonæ.)

« Quantum autem roboris habuerit aut firmitatis (nempe translatio imperii ab Oriente in Occidentem) quidve tunc per Romanam Ecclesiam factum fuerit de imperio, patet et patere potest omnibus evidenter. Prædicta enim imperii translatio facta per Ecclesiam de Græcis in Francos, ex causis et rationibus antedictis, adeo valida est, quod per septem generationes, per septem scilicet imperatores annis centum tribus duravit. » (Ibid., c. viii, pag. 94.)

VI. *Natalis Erveus*. — Cognomine *Brito*, utpote oriundus e Britannia minori. Fuit generalis superior Dominicanorum, et obiit Narbonæ anno 1323. Sic habet in suo tractatu *de Potestate Papæ* : « Ad Papam pertinet corrigere omnem abusum tam potestatis ecclesiasticæ quam terrenæ, in quocumque existente de populo christiano. » (Ita citatum a Bellarmino, t. V, p. 27, edit. Venetiis 1721.)

VII. *Durandus a Sancto Porciano*. — Universitatis Parisiensis doctor, cognomine *resolutissimus*, factus Episcopus Aniciensis anno 1318, et Meldensis anno 1326. Sic habet in suo tractatu *de Origine jurisdictionum*, questione iii :

« Quia utraque potestas, temporalis et spiritualis est necessaria, ideo utramque potestatem contulit (Christus) Petro... Isti sunt veri termini jurisdictionis spiritualis et temporalis a fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet : quia jurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil novit; jurisdictio vero spiritualis se extendit primo

et principaliter ad spiritualia; secundario vero et per quamdam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem. » (Citatum a Bellarmino, præfat. *in Barclaium*, pag. VI, initio tomi I, edit. Mediolani 1721.)

VIII. *Petrus Bertrandus.* — In Universitate Parisiensi juris canonici professor, postea creatus Nivernensis Episcopus, et demum, anno 1349, Cardinalitia dignitate insignitus. Is, totius Gallicani Episcopatus nomine, coram rege Philippo Valesio, in publico congressu confutavit jurisconsultum Petrum de Cunières, qui negabat jurisdictionem ecclesiasticam extendi ad temporalia. Cujus argumentis Rex plene convictus, sua Episcopis jura sarta tecta servavit, et jurisconsulti de Cunières postulata rejecit. Notatu præcipue digna hæc Petri Bertrandi verba :

« Per duos gladios intelliguntur prædictæ duæ potestates. Sed Christus voluit esse illos duos penes Ecclesiam; ergo et utramque potestatem. Sed dices quod Christus reprehendit Petrum quia percussit gladio temporali amputando auriculam... Sed hoc non valet. Christus enim non dixit Petro quod expelleret a se talem gladium, sed reponeret in vaginam, penes se servandum in vagina : ut daret intelligi quod talis potestas etsi sit penes Ecclesiam, tamen ejus exercitium (quantum ad causam sanguinis) in nova lege vult esse in manu judicis laicalis : secundum nutum vero et imperium penes sacerdotem. » (Bertrandus Cardinalis contra Petrum de Cugneriis pro ecclesiastica libertate, act. I. — Epitomen Biblioth. Maximæ Lugdunensis S. Patrum, t. I, p. 432. Edit. Augustæ-Vindelicorum 1719.)

« Potestas spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ; et quemadmodum Jesus Christus dum fuit in hoc mundo, et etiam ab æterno naturalis Dominus fuit, et de jure naturali in imperatores et quoscumque alios depositionis et damnationis sententias ferre potuisset, ita eadem ratione ejus Vica-

rius. » (*Tractatus de Origine jurisdictionis*, quæst. IV, n. 5. — Ita citatum a Bellarmino, *contra Barclaium*, t. V, p. 27, edit. Venetiis 1721.)

IX. *Petrus Paludanus.* — Seu Petrus de la Pallu, dominicanus, Parisiis Theologiæ professor, factus Hierosolimitanus Patriarcha anno 1329, mortuus Parisiis anno 1342, in suo tractatu *de Causa immediata ecclesiasticæ potestatis*, articulo 4, sic habet : « Licet Papa non habeat confirmare quemlibet regem qui consensu populi a principio regnum assumpsit, tamen potest deponere omnem talem ; non solum propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo; sed etiam propter insufficientiam, ut pote si quis idiota sensu, vel impotens viribus in regno præesset, et propter ejus insufficientiam regnum fidelium periclitaretur... Quia Papa est superior in spiritualibus, et per consequens in temporalibus, quantum necesse est pro bono spirituali. » (Apud Bellarminum præfat. in Barclaium, pag. VI, sub initium, t. I, edit. Mediolani 1721.)

X. *Somnium Viridarii.* — Is liber anonymus, anno circiter 1364, sub rege Carolo V editus, tribui solet dicti Regis Cancellario, vel alteri Aulico. Et quamvis auctor totus sit in arctandis ecclesiasticæ potestatis limitibus, tamen confessus est eam extendi indirecte ad temporalia, prout colligitur e sequentibus verbis : « Concedendum est quod Principatus papalis concernit temporalia (prout de necessario concernit spiritualia), cum ab eorum usu vel abusu surgit peccatum : prout dicunt textus, ratione peccati omnes causæ spectant ad forum ecclesiasticum : cap. *Novit. de judiciis*, etc. Tamen principaliter disponendo et authorisando, nihil spectat ad Papam quantum ad temporalia... Non debet se (potestas ecclesiastica) de depositione imperatorum seu regum intromittere, quantumcumque rex vel imperator sit dignus depositione propter defectum quemcumque, vel crimen quod non est inter spiritualia crimina computandum; et ideo si imperator vel rex committit crimen dilapidationis, vel destructionis imperii sive regni,

vel tyrannidis, vel quodcumque aliud propter quod non immerito deponi meruit, Papa non deberet eum deponere, sed populus a quo suam recepit potestatem tacite vel expresse: nisi illi ad quos pertinet nollent aut non possent facere justitiæ complementum... Fatendum tamen quod Papa potest transferre imperium vel regnum casualiter; ut quia non est alius superior, vel aliter, aut imperium vel regnum est transferendum de gente in gentem propter aliquod spirituale crimen gentis, puta si gens illa inficiatur hæretica pravitate, vel ad legem Judæorum, vel ad ritum gentium, vel sectam aliam converteretur. Si tranferendum esset imperium vel regnum propter crimen spirituale, dicunt quidam quod Papa potest jure divino transferre imperium seu regnum, quia in spiritualibus et annexis eis habet plenitudinem potestatis quantum ad ea quæ sunt de necessitate facienda. Alii dicunt quod Papa in hoc casu non potest transferre imperium sive regnum, nisi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel faventes genti a qua necesse est transferri imperium vel regnum; sed in hoc casu spectat ad Papam de crimine spirituali cognoscere et denuntiare illis ad quos spectat, ut ipsum (regem) deponant; quod si noluerint vel non potuerint, jure divino devoluta est potestas ad summum Pontificem; et hoc quia ipse habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia quæ sunt de necessitate facienda. » (Apud Bianchi, *della Potesta della Chiesa*, tom. I, p. 103.)

XI. *Ægidius de Bellamera.* — Fuit Avenionensis Episcopus, obiitque anno 1392. Insignis canonistæ famam sibi comparavit, ejusque opera septem voluminibus in-folio Lugduni edita sunt anno 1548. Sic habet de præsenti quæstione : « Papa potest deponere imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit... Etiam alios reges, licet ab eo regna sua non teneant in feudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec juramentum fidelitatis ei præstent; videlicet pro delictis et negligentiis... Depositio autem regum facienda per Papam,

non ex illa ordinaria, sed ex quadam suprema et absoluta potestate procedit. Et quod illam supremam et absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum æquum et reipublicæ valde expediens, scilicet ut sit aliquis supremus Monarcha, qui regum hujusmodi excessus possit corrigere et de ipsis justitiam ministrare. » (In caput *Alius* xv, quæst. vi, n. 2.)

XII. *Stephanus Aufrerius.* — Parlamenti Tolosani præses sæculo xv : — « Papa ipsum imperatorem tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis. Et in omnibus arduis negotiis et maximis difficultatibus generantibus scandalum in christianitate, Papa potest hujusmodi majoritatis ratione se intromittere, etiam inter laicos, et exercere hujusmodi potestatem sibi a Deo attributam. » (*Tractatus de potestate sæcularium*, n. 5 et 6. — Citatum a Bellarmino in sua præfatione contra Barclaium.)

XIII. *Dominicus a Soto.* — Ordinis Prædicatorum, studuit in Universitate Parisiensi, interfuit concilio Tridentino, obiitque anno 1560. Is errorem quem confutamus hæreseos nota perstringit in hunc modum : « Quinta, eademque catholica conclusio contra eorum hæresim qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem : Potestas quæcumque civilis eatenus est ecclesiasticæ subjecta in ordine ad spiritualia, ut Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei et religionis exegerit, non solum ecclesiasticarum censurarum fulminibus adversus reges agere, eosque cogere, verum et cunctos christianos principes temporalibus bonis privare, et usque ad eorum depositionem procedere. » (In 4 sent. dist. XXII, q. ii, art. 2. — Apud Bianchi, t. I, p. 109.)

XIV. *Gerson.* — Infensissimus is Pontificiæ auctoritatis impugnator; et nihilominus admisit Ecclesiæ competere dominium *regitivum*, *directivum*, *regulativum* et *ordinativum* in rem temporalem Principum; ac proinde agnovit *aliquam* Ecclesiæ in temporalia potestatem. En ejus verba :

« Potestas ecclesiastica non ita habet dominia et jura ter-

reni simul et cœlestis imperii, quod possit ad libitum suum de bonis clericorum et multo minus laicorum disponere; quamvis concedi debeat quod habet in eis dominium regitivum, directivum, regulativum, et ordinativum. » (*De Potestate eccl.*, consid. XII.)

« Postremo suis se terminis ita se potestas ecclesiastica coerceat, ut meminerit potestatem sæcularem etiam apud infideles sua habere propria jura, suas leges, sua judicia, de quibus occupare se ecclesiastica potestas non præsumat, nisi dum redundat abusus sæcularis potestatis in impugnationem fidei et blasphemiam creatoris, et in manifestam potestatis ecclesiasticæ injuriam : tunc enim ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum et ordinativum. » (Loco citato.)

« Omnes homines, Principes et alii subjectionem habent ad Papam in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate et dominio abuti vellent contra legem divinam et naturalem; et potest superioritas illa nominari potestas directiva et ordinativa potius quam civilis. » (Part. IV, serm. de pace et unit. Græcorum, consid. v, tomo IV, pag. 600, edit. Parisiis 1606.)

XV. *Jacobus Almainus.* — Is etiam auctoritati Pontificiæ infensissimus; attamen sic habet : « Imperator potest esse dignus depositione dupliciter : uno modo propter crimen spirituale, ut propter hæresim, quia hæreticus et schismaticus utitur potestate sua in detrimentum christianitatis. Alio modo propter crimen civile, ut puta quod negligit administrare justitiam. Tunc si imperator sit dignus depositione propter crimen primi generis, puta propter crimen spirituale, potest deponi a Papa, cum habeat plenam potestatem in puniendis peccatis spiritualibus. » (*De Potestate eccl. et laic.*, q. II, ad caput VIII Ochami.) Quoad quæstionem an Papa possit subditos absolvere a juramento fidelitatis, negat posse per modum relaxationis; sed concedit hoc posse Papam per modum *declarationis*, seu declarando jus subditorum : « Concesso quod Papa

potest absolvere subditum a juramento fidelitatis, negatur antecedens, saltem capiendo *absolvere* ut tantum valet sicut relaxare, et non jus declarare. » (Loco citato, ad caput XII Ochami.)

XVI. *Joannes Major.* — Licet non minus quam duo præcedentes Pontificiæ auctoritati infensus, concedit tamen posse, *ex rationabili causa*, dominia Principum ab ipsis, Ecclesiastica auctoritate, ad alios transferri : « Pro rationabili causa in tota republica hoc Ecclesia dominium transferre potest. Nolumus tamen dicere quod ad nutum ejus regna christianorum principum, in quibus dominium non habet nisi regitivum, transferre potest; sed ubi essent hæretici et fidem evertere molientes, Rex christianissimus deponendus esset. » (In II librum Sententiarum, distinct. XLIV, q. III.)

XVII. *Joannes Faber.* — Advocatus Parlamenti Parisiensis, mortuus anno 1541 : « Sed de Papa non est dubium quin sit superior omnibus christianis, et in temporalibus et in spiritualibus... Cum agitur de præjudicio animæ vel populi, Papa potest et debet providere, et si necesse sit quoscumque reges deponere.» (In legem primam, n. 10, c. de Summa Trin. et fide cath. — Apud Bellarminum in Præfatione contra Barclaium.)

XVIII. *Joannes Quintinus Hæduus*, gallice *Jean-Quintin d'Autun*, qui jus canonicum docuit Parisiis, obiitque ann. 1561 : « Quare ponimus utrumque gladium Ecclesiæ datum esse; hoc est Ecclesiæ Pontificem habere jus et potestatem in spiritualia simul et temporalia; atque de his statuere et decernere ex causa posse, cujus decretis standum : nam quamvis homo sit mortalis, tamen cœlesti potestate pollet... Hoc jure Papa Zacharias, anno Christi nati 753, Childericum longa majorum serie legitimum Galliæ regem et possessorem regno avito destituit, et in ejus locum Pipinum Belgam substituit, causatus peccatum esse, hominem tantæ imparem potestati, inertem et nihil agentem, reipublicæ gubernacula moderari... Hinc et Leo, ut Pontifex romanus, eadem fultus auctoritate Carolum

pariter Gallorum regem, Romanum creavit imperatorem. » (Ad cap. *Novit*, de Judiciis, n. 64 et 127. — Apud Bellarminum, loco citato.)

XIX. *Remondus Rufus*. — « Non ignoramus Leonem III Pontificem, Græcis ademptum imperium in Carolum Magnum contulisse; id enim cum nostri annales, tum Græcorum libri testantur; quod jure sibi acquisitum et Carolus Magnus et posteri Franci, Germanique putarunt. Omitto Pipinum a Stephano II, vel, ut nonnulli, a Zacharia regem factum, detruso in monasterium Childerico ignaro, stupido, et bardo rege. » (Rem. Rufus contra Molineum, cap. VI, p. 106. — Apud Bellarminum loco citato.)

XX. *Joannes de Sylva*, gallice *Jean Dubois*, Parisiensis Parlamenti præses, in suo tractatu *de Beneficiis*, p. 3, q. VIII, n. 31 : « Papa potest deponere Regem. »

XXI. *Petrus Gregorius Tolosanus*, parlamenti Tolosani præses, Romani Pontificis potestatem in rem temporalem regum docet in suo tractatu *de Republica*, lib. XXVI, cap. V. Item sequentes :

XXII. *Genebrardus*, archiepiscopus Aquensis, in sua Chronographia, libro IV, ad annum 1074.

XXIII. *Joannes Monachus*, Jean Lemoine, canonista, ad caput *Grande*, de supplenda negl. prælat., et ad caput *Apostolicæ*, de sentent. et re judic.

XXIV. *Franciscus Mairon*, in 4 Sententiarum, dist. XIX, quæst. IV. Fuit Franciscus Maironus Scoti discipulus, et primus in Sorbona instituit anno 1315 exercitationem quam vulgo vocant *Actum Sorbonicum*.

§ 10. — Doctrina cleri gallicani in comitiis generalibus anni 1615.

Constabant comitia tribus cameris seu ordinibus, videlicet : ordine cleri, ordine nobilium, et tertio ordine (gallice *le tiers état*). Is tertius ordo articulum edidit, quem volebat Regi pro-

poni et in legem sanciri, tenoris hujuscemodi : *Le roi sera supplié de faire arrêter en l'assemblée des états, pour loi fondamentale du royaume..., que, comme il est reconnu souverain en son État, ne tenant sa couronne que de Dieu seul, il n'y a puissance en terre, quelle qu'elle soit, spirituelle ou temporelle, qui ait aucun droit sur son royaume, pour en priver les personnes sacrées de nos rois, ni dispenser ou absoudre leurs sujets de la fidélité et obéissance qu'ils lui doivent, pour quelque cause ou prétexte que ce soit.* (*Procès-verbaux du clergé de France*, t. II; *Pièces justificatives*, p. 21, édit. de Paris, 1768.)

Edendi hujusce articuli auctores fuerunt protestantes, necnon alii tertii status deputati, qui licet protestanticam sectam externe non profiterenter, ei tamen adhærebant; prout videre est in citata collectione *Procès-verbaux de l'assemblée* 1614-1615. Actum apud matrem Regis ut præpediretur articuli discussio, ea ex ratione, quod tertius status incompetens foret in tali materia, utpote ecclesiastica. Ast in postulanda discussione tertius status pertinaciter perduravit. Quapropter duo alii ordines communi consensu impugnandum articulum decreverunt. Quem in finem duodecim viros deputarunt, et cum eis cardinalem Du Perron, qui cleri simul et nobilium nomine in camera tertii status verba faceret. Sic autem exorsus est cardinalis Du Perron :

« Considérez que ce n'est point moi que vous écoutez. Car « ce n'est point moi qui parle en cette cause, mais tout le « corps de l'ordre ecclésiastique, et tout celui de la noblesse « qui lui a donné adjonction et a député ces douze seigneurs « pris des douze gouvernements du royaume, afin d'autoriser « mes paroles de leur présence, et témoigner encore en cette « occasion la même dévotion que leurs prédécesseurs ont por- « tée à l'Église, laquelle ils ont plantée par leurs armes et « arrosée de leur sang aux plus lointaines parties de la terre. » (Harangue du card. Du Perron. édit. Paris, Antoine Étienne, 1615, p. 15.) Tum ad præsentem quæstionem deveniens, ita

prosequitur : « Or y a-t-il trois points en la substance de « votre loi fondamentale.....? Reste le troisième point, qui « est à savoir si les princes ayant fait, ou eux ou leurs pré- « décesseurs, serment à Dieu et à leurs peuples de vivre et « de mourir en la religion chrétienne et catholique.... vien- « nent non-seulement à tomber en manifeste profession « d'hérésie ou d'apostasie de la religion chrétienne, mais « même passent jusques à forcer leurs sujets en leurs con- « sciences... Leurs sujets peuvent être réciproquement dé- « clarés absous du serment de fidélité qu'ils leur ont fait; et « cela arrivant, à qui il appartient de les en déclarer absous. « Or c'est ce point-là que nous disons être contentieux et dis- « puté. Car votre article contient la négative, à savoir qu'il n'y « a nul cas auquel les sujets puissent être absous du serment « de fidélité qu'ils ont fait à leurs princes. *Et, au contraire, « toutes les autres parties de l'Église, voire même toute l'Église « gallicane, depuis que les écholes de théologie y ont été instituées « jusqu'à la venue de Calvin, tiennent l'affirmative*, à savoir « que quand un Prince vient à violer le serment... de vivre « et de mourir en la religion catholique, et non-seulement se « rend arien ou mahométan, mais passe... jusqu'à forcer ses « sujets en leurs consciences et les contraindre d'embrasser « l'arianisme ou le mahométisme, ou autre semblable infidé- « lité, ce prince-là peut être déclaré déchu de ses droits..., et « ses sujets être absous en conscience et au tribunal spirituel « et ecclésiastique du serment de fidélité qu'ils lui ont prêté. « Et que ce cas-là arrivant, c'est à l'autorité de l'Église rési- « dente ou en son chef qui est le Pape, ou en son corps qui « est le concile, de faire cette déclaration. Et non-seulement « toutes les autres parties de l'Église catholique, *mais même « tous les docteurs qui ont été en France depuis que les écholes de « théologie y ont été instituées ont tenu l'affirmative.* » (*Ibid.*, p. 11 et suiv.) « Le troisième inconvénient est que c'est nous « précipiter en un schisme évident et inévitable. Car tous les

« autres peuples catholiques tenant cette doctrine, nous ne pou-
« vons la déclarer pour contraire à la parole de Dieu et pour
« impie et détestable, que nous ne renoncions à la commu-
« nion du chef et des autres parties de l'Église, et ne confes-
« sions que l'Église a été depuis tant de siècles, non l'Église
« de Dieu, mais la synagogue de Satan. » (*Ibid.*, p. 14.)

In reliqua concione totus est cardinalis Du Perron, ut Ecclesiæ historia et praxi palam faciat, tertii status articulum prorsus adversari doctrinæ, huc usque in toto orbe catholico indubitatæ. Pro qua concione ab Assemblea Cleri laudatus fuit. Cæterum pleno successu intentum attigit, siquidem dictus tertii status articulus expunctus est.

Igitur adhuc anno 1615, duæ saniores Galliarum partes, clerus scilicet et nobilium ordo, doctrinam de Ecclesiæ potestate in rem temporalem statuum pro certa prorsus et in toto orbe apud catholicos indubitata habuerunt; contrariam vero novitatem tanquam certo erroneam, et *a ventis schismaticæ Angliæ*, ut dicitur in relatione *Procès-verbaux*, in Gallias invectam.

Objectiones Bossuetii. — Cum videret Bossuetius vel ex hoc solo facto corruere infaustam anni 1682 declarationem, omni arte conatus est vim argumenti inde deprumpti obnubilare. At certe non aliud probavit quam versutiam suam.

Objectio 1ª. — Concio a cardinali Du Perron habita, ipsius doctrinam exprimere censenda est, non totius cleri (vide in libro *Defensionis*, edit. Lebel Versaliis 1817, t. XXXII, p. 58).

Respondetur. — *Primo*, id si verum foret, sequeretur egregie mentitum cardinalem Du Perron, cum sic exorsus est: « Ce n'est point moi qui parle en cette cause, mais *tout* le corps de l'ordre ecclésiastique et *tout* celui de la noblesse qui lui a donné adjonction. » Pace Bossuetistarum dixerim, cardinalem Du Perron mendacii insimulare putida injuria est. — *Secundo*, si aliam quam cleri doctrinam expressisset Du Perron, ei post concionem exprobrasset Assemblea Cleri, quod mandatum prætergressus esset. Porro eum e contra summo-

pere laudavit. — *Tertio*, testatur relatio *Procès-verbaux*, deliberatum fuisse in Assemblea Cleri, de modo removendi articuli a *tertio ordine* propositi; hac de re perorasse cardinalem Perronium; et toti ecclesiastico ordini adeo placuisse, ut electus fuerit in deputatum cleri simul et nobilium, ad propugnandam causam apud tertium statum. Ipsum postea retulisse de expleto mandato, et laudes ecclesiastici ordinis consecutum. Igitur id propugnavit Perronius, ad quod propugnandum deputatus fuerat. Proinde non suam tantum, sed cleri doctrinam exposuit. — *Quarto*, narrat Grammont, Parlamenti Tolosani præses (ad annum 1615), quomodo Parisiense Parlamentum adhæserit articulo tertii ordinis, et quomodo istud Parlamenti attentatum ingentem ecclesiastico ordini indignationem moverit. « Excanduit clerus, inquit, addito non eas esse Parlamenti partes ut ultro respondeat. Comitiis Galliæ generalibus convocatis, regium omne jus translatum in ipsis; adeo ut velut justitio indicto cessare debet magistratus. Clerum et nobilitatem in eamdem sententiam convenire, nec ideo contrariam sententiam valere, quia ita populus censet. Duorum vota et calculos uni prævalere. » Hæc sane non suspecti auctoris verba testantur, non solius cardinalis Du Perron fuisse doctrinam articulo tertii ordinis contrariam, sed in eamdem *clerum et nobilitatem convenisse*. — *Quinto*, Comitia cleri anni 1673 jussit actis inseri cardinalis Perronii concionem; ergo tunc etiam clerus dictæ concionis doctrinam suam fecit. — *Sexto*, concio cardinalis Perronii coram tertio ordine, illa ipsa fuit quam pronuntiaverat coram ordine nobilium, mutatis dumtaxat exordio et peroratione. Id testatur monitum præfixum editioni authenticæ (Parisiis 1615), in quo sic habetur : « Or s'est-il contenté (Du Perron) de représenter celle (la harangue) qu'il prononça en la chambre du tiers état, d'autant que l'une et l'autre, c'est-à-dire tant celle qu'il fit en la chambre de la noblesse que celle qu'il fit en la chambre du tiers état, *furent une même chose quant aux raisons*, et ne diffè-

rent que pour le regard des exordes, péroraisons et ornements. » Igitur quod propugnaturus erat Perronius in camera tertii ordinis, jam audiverat et probaverat camera nobilium. Quanto magis camera cleri! Ergo concione sua expressit Perronius, non suam tantum, sed totius cleri doctrinam.

Objectio 2ª. — Camera cleri anni 1615 voluit solummodo impugnare competentiam tertii ordinis quoad hanc materiam; non autem voluit impugnare opinionem qua Ecclesiæ denegatur potestas in rem temporalem statuum (vide librum *Defensionis*, loco citato).

Respondetur. — Miserum si quod unquam effugium! Non suo Perronius, sed cleri et nobilitatis nomine locutus est; nec suam dumtaxat, sed cleri et nobilitatis doctrinam asseruit. Id jam luce meridiana clarius probatum fuit. Igitur id *voluit propugnare* ordo cleri, quod de facto propugnavit cardinalis Du Perron. Quid autem propugnavit? Legatur ejus concio. In ea totus est cardinalis Perronius ut demonstret doctrinam de ecclesiastica in rem temporalem regum potestate, usque ad Calvinum, in toto orbe catholico indubitatam viguisse; oppositum vero errorem a tertio ordine propositum approbare, non aliud fore quam certum jus Sedis Apostolicæ conculcare. Hanc esse totius concionis summam persuasum habuit Grammont, Tolosani Parlamenti præses, ut patet ex sequenti analysi ab ipso exscripta, in sua Galliarum historia (ad annum 1615) : *Vindicabat vir doctus Summi Pontificis in regum sceptra potestatem : pobabat potestati romanæ sedis in reges hæretica labe infectos subscripsisse quotquot ante Calvinum theologica tractavere ; contrariam opinionem novam esse, Luthero et Calvino fautoribus nuper natam; sacramento vinciri reges Galliæ ubi inaugurantur pellendis regno suo hæreticis; in hæresim, si ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum spectat ex lege perjurii pœna ; in eam sententiam exactis sæculis itum; iri et hodie passim toto orbe catholico... Eo errore primam fuisse Henrico VIII*

Angliæ regi viam in hæresim ; ex injusto repudio juste condemnatum , rebellasse contra judicem suum ; non aliud præcinere thesim (l'article du tiers état) *quam rebellionem in solium Petri.*

Igitur certo certius est, a comitiis cleri anni 1615 rejectam fuisse illam ipsam doctrinam, cui infauste adhæsere comitia cleri anni 1682.

§ 11. — Ab iis etiam scholæ doctoribus, qui audaciores extitere in deprimenda Romani Pontificis auctoritate, aliqua Ecclesiæ tribuitur potestas in rem temporalem statuum.

Ut magis pateat asserta scholæ consensio, eos hic seorsim doctores indigitabimus, qui infensiori animo Papalem auctoritatem corrodere nisi sunt, et hac de causa merito apud catholicos omnes pro suspectis ac deviis notari solent. Præcipuos recenset Azor; sed antea ipsis præivisse hæreticos enarrat in hunc modum :

« In primis Lutherani, Calvinistæ et alii hæretici negant ullam esse in Romano Pontifice potestatem in temporalibus. Fuit Marsilius quidam Patavinus qui docuit duas esse in mundo potestates supremas a se invicem distinctas, imperatoriam et pontificiam; quarum neutra penderet ab altera... Deinde aiebat ille, clericos omnes, et ipsum etiam Romanum Pontificem in causis civilibus et temporalibus esse imperatori subjectos, nisi imperatoris ipsius privilegio exciperentur... Addebat postremo, in causis et criminibus ecclesiasticis imperatores et cæteros christianos Romani Pontificis auctoritati subjici... Insuper si imperatores aut alii christiani laici in hujusmodi crimina prolaberentur, posse quidem dicebat ab Ecclesia puniri, sed tantum pœnis ecclesiasticis, videlicet excommunicatione et interdicto : non tamen aliis pœnis civilibus... Si rex vel imperator sit hæreticus, vel impius, potest Ecclesia eum a sacris et societate piorum amovere ut resipiscat... Quod si anathematis vinculo obstrictus parere et resipiscere recusaverit, nequibit Ecclesia eum ditione et impe-

rio dejicere, sed penes populum ipsum, cujus fuit principem creare, erit jus et potestas eidem principi imperium abrogandi. »

Hanc protestantium et hæretici Marsilii opinionem vocat Azor *temerariam et errorem continentem*. Tum ita subjungit quinam doctores catholici propius accesserint : « Non longe ab his fuerunt Guillelmus Okam et Joannes Parisiensis theologi, et Dantes poeta Florentinus. Okamum et Joannem Parisiensem secuti sunt Almain... et Major. » (Azor, *Institutiones morales*, t. II, parte II, l. IV, c. XIX.) His addendus Roselli et celebris Gerson. Porro ab his omnibus, etsi hæretico Marsilio proximioribus, asserta est aliqua Papalis potestas in rem temporalem statuum.

I. *Doctrina Okami et Almaini.* — Utrumque conjungimus, quia Almainus, Okami opera commentariis illustravit, et satis est citari Almainum, ut habeatur utriusque doctrina. Floruit Okam anglus, ordinis Sancti Francisci, Scoti discipulus, sub finem sæculi XIII. Schismatico Regi Ludovico Bavario, necnon Anti-Papæ Petro Corbario pertinaciter adhæsit. In eum excommunicationis sententiam pronuntiavit Joannes XXII, ac ejus scripta Sacræ Congregationis indicis decreto confixa sunt. Almainus vero, doctor Sorbonicus, se totum addixit partibus Regis Galliæ Ludovici XII, in ejus conflicto cum Julio Papa II. Obiit anno 1515. Hæc porro ipsius, necnon magistri ejus Okami doctrina :

« Christus numquam dedit auctoritatem Petro aliquem regem temporalem a jurisdictione sua deponendi, et non dedit potestatem laicos suis proprietatibus et dominiis privandi, nisi in casu si contingeret Principem sæcularem abuti re sua in perniciem christianitatis vel fidei, ita quod ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ. Et non negat doctor (id est Okamus), quin in tali casu Papa possit eum deponere, etsi alii doctores hoc negent, quamvis doceant Papam habere solum potestatem declarandi ipsum

principem esse deponendum. » (Almainus, *de Potestate eccl. et laic.*, quæst. I, c. IX.)

« Notat doctor (Okam) quod imperator potest esse dignus depositione dupliciter : uno modo propter crimen spirituale, ut propter hæresim, quia hæreticus et schismaticus, et utitur potestate sua in detrimentum christianitatis; alio modo propter crimen civile, utputa quando negligit administrare justitiam... Tunc si imperator sit dignus depositione propter crimen primi generis, puta propter crimen spirituale, potest deponi a Papa, cum habeat plenam potestatem in puniendis peccatis spiritualibus. » (*De Potestate eccl. et laic.*, quæst. II, ad cap. VIII doctoris Okam. — In *Bibliotheca Pontificia*, t. II, p. 14.)

« Dicit doctor (Okam) quod Papa potest imperatorem deponere in duobus casibus : primus, pro crimine pure spirituali, ut est hæresis : secundus, quando illi ad quos spectat jure ordinario sunt negligentes ipsum deponere. Unde dicit doctor (III part., dial. II) quod universaliter si negligat judex sæcularis exercere jurisdictionem laicam pro loco et tempore, devolvitur potestas exercendi ad judicem spiritualem. Ergo ubi ad quos spectat depositio imperatoris non possunt auferre, vel negligunt, devolvitur potestas auferendi ad summum Pontificem... Dicit doctor (intellige semper Okamum) quod Papa potest transferre imperium, sed hoc est solum casualiter. Unde Papa potest exercere jurisdictionem in pure temporalibus casualiter, hoc est quando non est judex sæcularis. Ita si desit Congregatio populi, potest Papa transferre, et hoc casualiter. Secundo potest pro crimine pure spirituali, ut si gens illius imperii efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam, dimittendo sectam christianam, posset propter hoc Papa illam gentem privare dignitate imperiali, et sic transferre in aliam gentem, sed hoc non est regulariter, sed casualiter. » (*De suprema potest. eccles. et temp.*, quæst. II, c. V. — *Bibliotheca maxima pontificia*, t. II, f. 14, 2 col.)

Igitur Okamo et Almaino, licet Apostolicæ sedi infensissimis, indubitata fuit Romani Pontificis multis in casibus potestas in rem temporalem Regum.

II. *Joannes de Parisiis.* — Ordinis Prædicatorum, in universitate Parisiensi doctor et professor, totus adhæsit Regi Galliæ Philippo Pulchro contra Bonifacium Papam VIII. Obiit anno 1304. Ipsi ut theologo nulla auctoritas; ut historico nulla fides apud eruditos. Ipsi nihilominus indubitata Romani Pontificis aliqua potestas in rem temporalem regum, ut patet sequentibus textibus :

« Papa vero, quia est supremum caput, non solum clericorum, sed et generaliter omnium fidelium, ut fideles sunt, tanquam generalis informator fidei et morum, in casu summæ necessitatis fidei et morum (in quo casu omnia bona fidelium sunt communia et communicanda, etiam calices ecclesiarum), habet bona exteriora fidelium dispensare et exponenda decernere, prout expedit necessitati communis fidei. » (Joannes de Parisiis, *Tract. de potest. reg. et papal.*, c. VII.)

« Si esset (Rex) hæreticus et incorrigibilis et contemptor ecclesiasticæ censuræ, posset Papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille sæculari honore, et deponeretur a populo : et hæc faceret Papa in crimine ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes qui ei ut domino obedirent ; et sic populus ipsum deponeret, et Papa per accidens. » (Ibid., c. XII.)

Equidem subjungit Joannes de Parisiis posse vicissim Papam a Rege deponi *per accidens;* sed istud delyramentum ipsi etiam Gallicani systematis sequaces rejiciunt. Et remanet admissam ab isto scriptore Papalem potestatem reges deponendi certo modo et in certis casibus. Quam ejus doctrinam sic exhibuit Almain, in hac re non suspectus :

« Dicit Joannes de Parisiis breviter quod propter nullum crimen spirituale, sive civile, spectat ad Papam imperatorem deponere, nisi de per accidens... Non potest Papa ferre sen-

tentiam, qua lata ipse imperator sit a potestate pristina depositus. Sed per accidens potest, quia potest excommunicare illum pro crimine et singulos cum eo participantes; et sic inhibere subditis ne participent cum illo, et per illam excommunicationem illos cogere ad depositionem imperatoris. Ideo dicit non spectat ad Papam sententialiter deponere ipsum, licet spectet sententialiter excommunicare, et finaliter per censuram excommunicationis cogere ut illum deponant; et sic de per accidens deponit solummodo, et non directe. » (*Biblioth. maxima pontificia*, t. II, p. 15.)

III. *Concilium Romanum anni* 1080, *sub sancto Gregorio Papa VII.* — « In eo interfuerunt, ait Schulcken, Archiepiscopi et Episcopi diversarum urbium, necnon abbatum ac diversorum ordinis clericorum innumerabilis multitudo. » (*Bibliotheca maxima Pontificia*, t. II, p. 7.) Post pronuntiatam contra se, anno 1076, depositionis sententiam, Henricus IV ad sancti Gregorii VII pedes sese provolverat, et emendationem promiserat. Ei Pontifex communionem restituerat; simul tamen intactam relinquendo quoad depositionem a dignitate regia sententiam. Interea Germaniæ proceres Rodulphum loco Henrici IV, inconsulta Sede Apostolica, elegerant. Quapropter S. Gregorius VII congressum indixit, in quo Rodulphum inter et Henricum IV judicaretur. Cui congressui, a quo nihil boni sibi sperandum intelligebat, sese subjicere noluit Henricus IV. Tunc celebratum concilium anni 1080, in quo confirmata Henrici depositio et Rodulphi electio. Ex illa celebri sententia (quam integram vide apud Mansi, t. XX, col. 534), nonnulla subjicimus :

« Beate Petre, Princeps apostolorum, et tu, Beate Paule doctor gentium, dignamini, quæso, aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire... Quia super montem excelsum me jussistis ascendere, et clamare atque annuntiare populo Dei scelera eorum, et filiis Ecclesiæ peccata eorum, filii diaboli contra me cœperunt insurgere, et usque ad sanguinem præsumpserunt in me manus suas injicere. Astiterunt enim reges terræ et Principes sæculares et ecclesiastici, et aulici et vulgares convenerunt in unum adversus Dominum et adversus vos christos ejus... Inter quos specialiter Henricus...

Quapropter confidens de judicio et misericordia Dei ejusque piissimæ matris semper virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, sæpe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio, et anathematis vinculis alligo : et iterum regnum Teutonicorum et Italiæ, ex parte omnipotentis Dei et vestra interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo, et ut nullus christianorum ei sicut regi obediat interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rodulphus regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior et concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum... Sicut enim Henricus pro sua superbia, inobedientia et falsitate a regni dignitate juste abjicitur, ita Rodulpho pro sua humilitate, obedientia et veritate potestas et dignitas regni conceditur.

« Agite nunc, quæso, Patres et Principes sanctissimi (alloquitur Apostolos Petrum et Paulum), ut omnis mundus intelligat et cognoscat quia si potestis in cœlo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus et omnium hominum possessiones pro meritis tollere unicuique et concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia judicatis, quid de sæcularibus vos posse credendum est?... Addiscant nunc reges et omnes sæculi principes quanti vos estis, quid potestis, et timeant parvi pendere jussionem Ecclesiæ vestræ : et in prædicto Henrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant quia non fortuito, sed vestra potestate cadet. Confundatur utinam ad pœnitentiam ut spiritus sit salvus in die Domini. »

Sententia hæc, quæ synodalis fuit, testatur Patribus hujusce concilii indubitatam prorsus fuisse aliquam Ecclesiæ potestatem in rem temporalem statuum. Immo solet objici quatenus *directam* potestatem exprimens; sed de hac quæstione infra disseremus.

IV. *Concilium Beneventanum anni* 1087, *sub Victore Papa III.* —Contra imperatores et reges, qui episcopatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem largiri præsumerent, decrevit synodus in hunc modum: « Constituimus etiam, ut siquis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus Epicopus vel abbas habeatur, neque ulla ei ut Episcopo vel abbati adhibeatur reverentia... Si quis itêm imperatorum, regum..., episcopatum vel quamvis aliam ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se adstrictum noverit. » (Apud Mansi, t. XX, col. 640.) « Hæc igitur omnia, dum omnium Episcoporum in concilio astantium fuissent suscepta judicio et auctoritate probata, disseminata continuo per orbem fuere. » (Ibid., col. 641.) Istud etiam concilium indubitatam habuit, ut patet, Ecclesiæ potestatem reges et imperatores deponendi.

V. *Concilium Romanum anni* 1102, *sub Paschale Papa II.* — Præcepit sub excommunicatione ut belligerantes ab omni prælio cessarent a die mercurii usque ad feriam secundam, ab Adventu usque ad octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad octavam Paschæ. De quo sic, Guillielmus, Auscitanus Archiepiscopus et Sedis Apostolicæ Legatus, in suo *mandato* anni 1104, ad Episcopos, comites et barones Auscitaniæ provinciæ directo : « Juxta statuta generalis concilii, Romæ nuper celebrati, pacem et treugam Dei in provincia nostra, ex parte Dei et Domini Papæ et nostra, ab omnibus inconcusse et inviolabiliter observari præcipimus. » (Apud Mansi, t. XX, col. 1148.) Sane qui sibi potestatem tribuit prælia certis temporibus interdicendi, hoc ipso jus sibi vindicat in rem temporalem principum. Concilium autem istud pro œcumenico habitum

est a Conrado Abbate Uspergensi; auctore fere synchrono, cum obierit anno 1240.

VI. *Concilium Claromontanum, anni* 1095, *sub Urbano Papa II.* — Interfuit ipsemet Romanus Pontifex; et, præter Cardinales, numerati sunt Archiepiscopi, 13; Episcopi, 225; Abbates, 90. In eo pronuntiata fuit excommunicatio contra Philippum I Galliæ regem, et conditi varii canones; inter quos sic habet trigesimus secundus: « Si quis Episcopum ceperit et incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat: ulterius arma non exerceat. Et clamatum est ab omnibus: fiat. » (Conciliorum Mansi, t. XX, col. 812.) Dum concilii Patres sibi potestatem tribuunt *militiam interdicendi* ob delictum ibi expressum, et ejusmodi delinquentes *infames* reddendi, profecto jus in rem temporalem societatum civilium sibi vindicant. In eodem concilio hic etiam canon editus: « Item placuit omnia bona eorum qui Hierosolymas pergunt, semper et ubique esse salva in pace et treuga quousque redierint. » (Loco citato, col. 827.) Ibi communibus legis civilis dispositionibus derogabatur in favorem cruciferorum; sicque potestas ecclesiastica jus in rem temporalem societatum civilium sibi apertissime vindicabat.

VII. *Concilium Basileense, anni* 1440. — Synodum illam non citamus, ob ejus auctoritatem, cum manifeste schismatica evaserit; sed ut constet quam generalis et indubitata fuerit persuasio de qua disserimus. En quibus pœnis synodus ista decreverit obediendum esse Amedeo, quem sub nomine Felicis V in summum Pontificem elegerat:

« Decernens et declarans eidem electo... ab omnibus Christi fidelibus de necessitate salutis obediendum fore et debere obediri; ac eisdem Christi fidelibus quacumque, etiamsi imperiali, Cardinalatus, Patriarchali, regali... seu alia quavis ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate... sub obtestatione divini judicii, necnon excommunicationis... ac privationis omnium dignitatum, bonorum et officiorum, ecclesiasticorum et temporalium... pœnis,... auctoritate Dei omnipotentis et

ejusdem universalis Ecclesiæ districte præcipit atque mandat quatenus eidem electo... obediant.» (Sess. XL, § 3. — Collectio conciliorum Mansi, t. XXIX, col. 204.) Igitur sibi adscripserunt Basileenses Patres potestatem ipsos etiam imperatores *privandi* omnibus *temporalibus bonis*, *officiisque ac dignitatibus*.

SECTIO III

ARGUMENTUM E PRAXI ROMANORUM PONTIFICUM

De facto Romanos Pontifices potestatem in rem temporalem societatum civilium sibi vindicasse, atque a tali facto ad jus recte illationem fieri, inanesque prorsus esse rationes a Bossuetio excogitatas ad eludendam hujusce argumenti vim, constabit sequenti capitum serie.

CAPUT I

AGAPETUS PAPA, ANNO 536, SIBI DICTAM IN TEMPORALIA POTESTATEM VINDICAVIT

Clotarius I, rex Galliæ, Galterium Ivetensis terræ dominum occiderat. Quid tum egerit Agapetus Papa, constat sequentibus testimonius :

« Le Pape, indigné de cet acte trop cruel, manda au roi qu'il eût à réparer cette faute; autrement son royaume seroit interdit. Alors Clotaire ayant en sa conscience remords de son crime, ordonna, pour réparation d'iceluy, que de là en avant les seigneurs d'Yvetot et leurs hoirs seroient quittes de tout hommage, service et obéissance deüe au roy pour la terre d'Yvetot... et de ce furent par le dit Clotaire faictes et sellées lettres. » (Du Haillan, *Histoire de France*, l. I.)

« Je trouve par foi indubitable que cela fut fait l'an de sa-

lut 536. Car lorsque les Anglois dominoient longtemps après en Normandie, s'étant émeu procès entre Jean de Hollande, Anglois, et le seigneur d'Yvetot, comme si sa terre eust été tributaire au roi d'Angleterre, le lieutenant de Calais, l'an de salut 1428, après s'être informé de la cause par ordre de justice, jugea qu'il l'avoit trouvée comme je l'ai noté cy-dessus. » (Gaguin, *Hist. franç.*, l. II.)

« Le roi Clotaire ayant, dans un premier mouvement de colère, massacré au pied des autels, un jour solennel, Vautier, seigneur d'Ivetot, qui lui demandait grâce, il fut excommunié par le pape Agapet, et n'obtint son absolution qu'après avoir déclaré tous les descendans du défunt totalement indépendans du royaume de France. (*Pensées de Leibnitz*, tom. II, p. 399.)

Igitur Agapetus Papa sibi jus vindicavit exigendi a rege Galliæ Clotario, in patrati sceleris expiationem, aliquid temporale.

CAPUT II

S. GREGORIUS MAGNUS SIBI DICTAM IN TEMPORALIA POTESTATEM VINDICAVIT

I. Mauricius imperator legem ediderat, qua militibus prohibebat ne monasticam vitam inirent. Cumque legem hanc sancto Gregorio misisset, ab ipso publicandam, respondit sanctus Præsul : « Ego quidem, jussioni subjectus, eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nuntiavi. » (Lib. II, epist. 62. — Apud Labbe, t. V, col. 1134, edit. Parisiis.) Ex isto agendi modo, infert Bossuet sanctum Gregorium Magnum nullam sibi vindicasse indirectam in temporalia potestatem.

Contrarium inferre debuisset. Notet autem lector absonum ejus ratiocinium. Dicit prævaricatorem futurum fuisse Gregorium, legem istam iniquam transmittendo, si potuisset illam auctoritate sua Pontificia abrogare; cum ergo non eam abrogaverit, sed transmiserit, putavit nullum sibi jus competere in leges, quantumvis iniquas, imperatoris (*Defensio*, t. I, parte II; t. VI (alias II), c. VIII). Sed, quæso, nisi legem transmittendo eam abrogaverit quoad partem quæ legi Dei repugnabat, nonne prævaricator manifeste fuit, etiam in hypothesi quod nulla Sedi Apostolicæ competat indirecta potestas in rem temporalem regum? Non enim ulli unquam licebit alicui legi iniquæ cooperari, eam transmittendo et promulgando. Unde Bossuet, ut suum systema defenderet, sanctum Gregorium fecit gravissimi peccati reum.

Ex allegato facto sic e contra recte arguitur: Lex tria statuebat, nempe : *primo*, ne viri publicis administrationibus impliciti ad officia ecclesiastica reciperentur; quam legis partem S. Gregorius laudavit. *Secundo*, ne iisdem vitam monasticam amplecti liceret; quam partem moderavit S. Gregorius, excipiendo casum quo monasteria sibi onus susciperent pro talibus quoad debita et reddendas administrationes satisfaciendi. *Tertio*, ne militiæ adscripti possent unquam militiam relinquere et vitam monasticam profiteri; quam tertiam partem utpote iniquam rejecit S. Gregorius. Legem nempe Metropolitanis transmittendo, simul eos monuit, dictos milites in monasteriis recipi debere : *Non est eorum conversio renuenda* (apud Labbe, t. V, col. 1293, edit. Parisiis). Et quod ita legem correxisset, ipsummet imperatorem Mauritium præmonuit his verbis : « et quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nuntiavi. » Sane qui declarat aliquam legem *omnipotenti Deo non concordare*, hoc ipso declarat legem illam non esse servandam recicipiendamve, sed prorsus rejiciendam. Factum istud, quod legem Mauricii imperatoris S. Gregorius auctoritate apos-

tolica correxerit, indubitatum habuit Hincmarus Remensis Episcopus. De hoc quippe Mauricii decreto sic asserit : « Quod religiosi imperatores, et sanctus Gregorius Magnus, auctoritate apostolica et generali Episcoporum consensu, ecclesiastico vigore, ac reipublicæ christianæ cohibente religione, destruxerunt; velut in ejus epistolis ad Mauritium imperatorem et ad plurimos Episcopos ostenditur. » (Hincmarus, l. XII, epist. 3.) Quod etiam pro certo prorsus ac explorato habuit Thomassinus : « Hinc liquido constat, inquit, re Gregorium irritasse legem Mauritii, quanquam verbis et specie tenus ab obsequio imperatoriis præceptis præstando non recessit. » (*Vetus et nova disciplina*, parte I, l. III, cap. LXI, n. 13.) Ergo S. Gregorius sibi jus vindicavit imperatoris legem abrogandi; ergo et aliquam potestatem in rem temporalem societatum civilium. — *Objicies :* Ipse Pontifex se dicit imperatoris *jussioni subjectum.* — *Respondeo:* In eadem epistola dicit imperatori : « In hac suggestione, neque ut episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor. » Ergo citata verba non evincunt, S. Gregorium sese quatenus Papam, agnovisse imperatoriis præceptis subjectum; sed is loquendi modus modestiæ tribuendus est; prout quando vel fœminas vocat *dominas* suas. De quo Petrus de Marca, vir in hac re Gallicanis non suspectus : « Sane Apostolicæ sedis principatus ad eam servitutem dimitti non potest, ut jussioni principis subjectus dicatur eique obedientiam exhibeat. Quare vel hinc patet, alio titulo quam summi Pontificatus, publicandæ legis curam suscepisse Gregorium. Nullis enim præceptis, iterum dico, vel delegationibus submitti potest summæ illius auctoritatis et dignitatis apex. » (In prolegomenis ad opus *de Concordia.*) At Bossuet mordicus propugnat subjectionem Papæ, *quatenus talis*, imperatoriæ auctoritati. Pro quo adducit alios textus S. Gregorii, modestiæ pariter tribuendos, et non prout sonant rigide intelligendos. De quibus textibus sic Bianchi : « Certes, on ne saurait attribuer à d'autres causes qu'à une exagération de

respect ce que dit S. Grégoire, que Dieu avait mis toutes choses entre les mains de Maurice, et lui avait donné l'empire non-seulement sur les soldats, mais encore sur les Pontifes (dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit). De même qu'il y a exagération dans cet autre de la même lettre, que Dieu avait donné à Maurice pouvoir *sur tous les hommes* (super omnes homines), puisqu'il est bien certain que le pouvoir de cet empereur ne s'étendait pas même sur la dixième partie du genre humain; et dans cet autre encore, que Maurice était son seigneur avant même qu'il le fût de tous les autres hommes (ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras). Or, de même que ce serait faire déraisonner saint Grégoire que de conclure de ces passages que, suivant la pensée de ce Pape, Dieu avait accordé à Maurice la souveraineté sur tous les hommes, et que Maurice avait été le souverain de Grégoire avant même qu'il fût devenu empereur, l'auteur que nous combattons doit essuyer le même reproche, quand il infère du passage cité que, dans la pensée de saint Grégoire, Dieu avait donné une souveraineté réelle à l'empereur sur le Pontife Romain, comme Pontife, et sur tous les Évêques ou tous les Prêtres. » (Bianchi, *de la Puissance ecclés.*, traduction de l'abbé Peltier, t. II, p. 94, Paris 1857.)

2. Hospitium quoddam Augustoduni fundaverant regina Brunichildis et nepos ejus rex Theodoricus, quod et postulaverant a Romano Pontifice exemptione aliisque privilegiis muniri. Id præstitit sanctus Gregorius Magnus, anno 602. Atque in constitutione hunc in finem edita, et ad Senatorem, dicti hospitii abbatem, directa, hisce verbis sanctus Pontifex utitur. *Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet... in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, judicum, personarumque sæcularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit*, POTESTATIS HONORISQUE SUI DIGNITATE CAREAT, *reumque se*

divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. (Epist., l. XIII, ep. VIII, edit. Migne, p. 1265.) Simul autem ad reginam Brunichildem scripsit sanctus Gregorius : *Hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda, quatenus sicut in nostris, ita quoque in regalibus scriniis teneatur* (loco cit., p. 1261). Sane si authenticum sit documentum istud, evincit sanctum Gregorium in Regum temporalia sibi potestatem aliquam vindicasse, prout patet verbis, *potestatis honorisque sui dignitate careat.* Equidem a scriptoribus Gallicani systematis propugnatoribus in dubium vocata fuit dicti documenti authenticitas. Sed certam probarunt alii eruditi. Imo, etiamsi S. Gregorio erronee affixum fuisset, adhuc vim haberet, ob antiquitatem suam, ad probandam de qua agimus generalem persuasionem.

CAPUT III

SANCTUS GREGORIUS II SIBI DICTAM IN TEMPORALIA POTESTATEM VINDICAVIT, ANNO 726.

Ita tenendum, si dictus Pontifex Romam Italiamque a Leonis Isaurici obedientia substraxerit, eique tributa in posterum ab Italis solvi prohibuerit. Atqui hoc peregisse sanctum Gregorium II, omnino certum evincitur sequentibus testimoniis :

1° *Testimonium sancti Theophanis.* — Fuit is, non tantum insignis historicus Græcus, et sancto Gregorio II fere synchronus, sed ab Ecclesia in sanctorum album adscriptus, ut videre est in Menelogio Græcorum, ad diem 12 martii, necnon apud Heinschenium, in *actis sanctorum* ejusdem diei. Fuit insuper insignis fidei confessor, cum ob suum in defendendis sacris imaginibus zelum, persecutiones pertulerit plurimas, et in exilio diem supremum clauserit. Sic porro tantæ auctoritatis scriptor factum de quo agimus refert, in sua *Chronographia* (editio regia, Parisiis 1655, p. 338) : *Hoc anno*

irreligiosus imperator Leo de proscribendis et deponendis sanctis et venerandis imaginibus primum tractatum habere cœpit. Comperto ejus proposito, Gregorius Papa Romæ, tributa Italiæ et Romæ inhibuit (τοῦς φόρους Ιταλίας καὶ Ρωμης ἐκωλύσε), *scripta prius ad ipsum Leonem epistola dogmatica, qua monebat non oportere regem circa fidem statuere, nec antiqua Ecclesiæ dogmata a sanctis patribus sancita innovando convellere.* Pagina 342, sic pergit S. Theophanes : *In antiqua autem Roma Gregorius, omnino sanctus et apostolicus vir, et Petri, qui corypheus est, consessor* (καὶ Πετρου του κορυφαιου συνθρονος), *verbo et opere elucebat : is substraxit et Romam et Italiam et omnem Occidentem a politica et ecclesiastica subjectione Leonis, et ab ipsius imperio.* (Ὁς απεστησε Ρωμηντε, καὶ Ιταλιαν, καὶ παντα τα ἑσπερια της πολιτικης, καὶ εκκλεσιαστικης ὑπακοης Λεοντος, καὶ της ὑπ' αυτον βασιλειας.) Tandem pagina 343, sic habet : *Gregorius autem sanctus præsul Romæ, sicut jam dixi, Anastasium una cum libellis ejus abjudicavit* (απεκηρυξεν), *cum jam redarguisset Leonem per epistolas tanquam irreligiosum; et Romam cum omni Italia ab ipsius imperio substraxit* (καὶ την Ρωμην συν πασῃ Ιταλιᾳ της βασιλειας αυτου απεστησεν).

2° *Testimonium Cedreni*, historici Græci, qui scripsit anno circiter 1125. — *Cœpit impius Leo de evertendis sacris imaginibus sermonem facere. Quo cognito Gregorius Papa Romæ tributa Italiæ et Romæ prohibuit.* (Cedreni historiarum compendium, editio regia, Parisiis 1647, p. 453.) *In veteri autem Roma Gregorius apostolicus vir, et Petri (qui Corypheus est) consessor... Sanctus ille vir a Leone ob ejus impietatem defecit, et cum Francis icto fœdere, tributa denegavit, et Anastasium ac socios anathematizavit. Imperatorem autem multis epistolis, quæ a multis lectæ sunt, manifesto redarguit.* (Ibid., p. 456.)

3° *Testimonium Zonaræ*, historici Græci, qui obiit ante medium sæculum duodecimum. — *Hac de causa Gregorius qui tum Romæ veteris ecclesiam gubernabat, repudiata societate præsidis novæ Romæ, necnon illorum qui eum sequebantur, illos una*

cum imperatore synodico anathemate obstrinxit; et vectigalia quæ ad id usque tempus inde pendebantur inhibuit (απεσχε), *icto cum Francis fœdere, unde illi occupandæ Romæ occasionem habuerunt*. (Zonaræ Annales, editio regia, Parisiis, 1687, 104 et 105.)

4° *Testimonium Glycæ*, historici Græci. — *Eo tempore Gregorius Papa Romæ scribit ad regem Leonem de imaginibus. Sed cum Æthiopem album facere non posset, vectigalia Italiæ et Romæ pendi prohibuit* (εχωλυσε τελεισθαι), *et totam illam regionem ab hoc imperio avulsit*. (Glycæ *Annales*, edit. Venetiis, 1729, p. 217.)

5° *Testimonium auctoris historiæ miscellæ*. — Octavo sæculo scripsit Paulus diaconus *historiam miscellam*, quam postea continuavit Landulphus Sagax, quamque reperies in collectione *Bibliotheca maxima Patrum*, Lugduni edita. In ea sic legere est libro XXI : *Anno nono imperii sui, cœpit impius imperator Leo contra sanctas et venerabiles imagines facere verbum. Quod cum didicisset Gregorius Papa Romanus, tributa Romæ urbis prohibuit et Italiæ*. (*Maxima Bibliotheca Patrum*, Lugduni, 1677, t. XIII, fol. 307, b.) *Sane Gregorius sanctissimus præsul Romanus, quemadmodum prædixi, Anastasium una cum libellis abjecit, Leonem per epistolas tanquam impie agentem redarguens et Romam cum tota Italia ab illius imperio recedere faciens*. (Ibid., fol. 308, col. 1.)

6° *Testimonium Anastasii Bibliothecarii*, qui floruit nono sæculo. — *Paulus vero exarchus, imperatoris jussione Pontificem conabatur interficere, eoque* (eo quod) *censum in provincia ponere præpediebat... Respiciens ergo pius vir profanam principis jussionem, jam contra imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens hæresim ejus, scribens ubique cavere se christianos*. (Anast., de Vitis Pontificum Rom., p. 69, edit. regia, Parisiis, 1649.)

7° *Testimonium undecim aliorum*. — Eos citat Bianchi (traduction de l'abbé Peltier, tome I, p. 456, Paris, 1857) in hunc modum : « Que Grégoire II ait retiré à Léon l'Isaurien, à cause de son impiété, l'empire de Rome et de l'Italie, ainsi que le

tribut que payaient à ce prince les peuples de ces contrées, c'est ce qu'attestent de concert..., et Sigebert de Gemblours (in *Chronic.*, ad annum 751), et Othon de Frisingue (in *Chronic.*, l. V, c. XVIII), et Geoffroy de Viterbe (in *Chronic.*, p. 16), et Martin de Pologne (in *Chronic.*, l. IV, in *Vita Gregorii II*), et Albert de Stade (ad annum 751), et Jean-Baptiste Platina (in *Vita Gregorii II*), et Jean Nauclerus (in *Chronograph.*, v. 2, generat. 5), et Onuphre Panvinio (in adnotationibus ad Platinam, in *Vita Constantini I*), et Papire Masson (*Annal. Franc.*, l. I, *in Clodoveo III*), et Charles Sigonio (*de regno Italiæ*, ad annum 728), et Gilbert Genebrard (l. III, *Chronolog.*, ad annum 730), et d'autres célèbres écrivains qui ont composé leurs ouvrages avant les cardinaux Baronius, Bellarmin et Duperron. Parmi ces écrivains, on ne peut certainement reprocher trop d'affection pour l'autorité des Papes ou pour le pouvoir indirect que nous leur attribuons sur le temporel des princes, ni à Sigebert, ni à Othon, ni à Platina, ni à Panvinio. » (Bianchi, *della Potesta della Chiesa*, t. 1, p. 382, edit. Romæ, 1745.)

8° Tandem ne alia testimonia congeramus, asseremus quoad factum istud prorsus consentire *omnes omnino* latinos historicos, tum antiquos, tum recentiores.

9° Primus ejusmodi factum negare ausus est Launoyus; ille scilicet scriptor paradoxis celebris, textuum systemati suo non cohærentium falsificator, et cujus scripta Romæ damnata, generalem apud coævos catholicos indignationem commoverunt. Launoyium secuti sunt Ellias Dupin, Natalis Alexander et Bossuet. Quam inanibus ratiunculis, palam fecit Bianchi, in hunc modum :

« Nonobstant cette grande nuée d'écrivains grecs et latins attestant d'un consentement unanime que le saint Pape Grégoire II détacha Rome et l'Italie de l'empire de l'impie Léon l'Isaurien et empêcha de lui payer tribut, Jean Launoy, cet homme ami des nouveautés, a osé, non pas seulement mettre

en doute le fait en question, mais le nier ouvertement et l'attribuer à une manifeste imposture des écrivains grecs. Launoy a été suivi d'Ellies Dupin, de Noël Alexandre et de Bossuet. Il faut donc examiner les raisons sur lesquelles ces écrivains ont appuyé leur opinion nouvelle.

« *Premièrement*, pour combattre le fait ils recourent au droit. Ils accumulent hors de propos les témoignages des Papes précédents et les textes des Pères qui, selon leur prétention, démontrent que l'Église n'a aucun pouvoir sur le temporel des États ; et de ce que Grégoire II n'a pas eu, à leur avis, le pouvoir de retirer les tributs à Léon l'Isaurien et de soustraire à sa tyrannie Rome et l'Italie, ils concluent qu'il ne l'a pas fait, et que l'histoire des tributs empêchés et de l'Italie soustraite à l'obéissance du méchant empereur est controuvée. Mais il n'est pas, je pense, un homme de jugement sain, à qui la faiblesse de ce raisonnement ne saute aux yeux. Si l'argument était légitime, il s'ensuivrait qu'on pourrait nier tous les faits, quelque attestés qu'ils fussent par les preuves les plus irrécusables, par cela seul qu'on ne pourrait pas prouver la conformité de ces faits avec le droit. En supposant qu'on dût admettre leur principe, le plus qu'on pût en conclure serait que S. Grégoire II commit une injustice en privant des tributs l'empereur Léon, et qu'en cette circonstance il fit mal; mais on ne peut nullement en conclure qu'il ne l'ait pas fait. Ces auteurs voyaient très-bien que de blâmer S. Grégoire II comme ils blâment S. Grégoire VII, c'eût été s'exposer à l'indignation des catholiques. Ils ne trouvaient pas sur le pontificat de Grégoire II, comme sur celui de Grégoire VII, diversité d'opinion, ni par conséquent des jugements et des hommes dont ils pussent se servir pour jeter du discrédit sur le saint Pontife. Ils savaient que Grégoire II a été unanimement loué et regardé comme un grand saint par tous les écrivains, soit de son temps, soit postérieurs, si l'on en excepte les iconoclastes anciens et modernes. Qu'ont-ils donc

fait? Ils ont pris le parti de s'inscrire en faux contre la déposition d'innombrables témoins, et ils ont donné pour raison que Grégoire II n'avait pas le droit d'agir ainsi, s'inquiétant fort peu de poser en principe le point qui était précisément en question et qu'ils avaient à prouver. Nous, au contraire, de ce fait connu avec certitude, que Grégoire II, Pontife d'une grande sainteté et d'un grand savoir, au dire même de nos adversaires, ôta à l'impie Léon et les tributs et la souveraineté sur l'Italie, nous avons droit de conclure que ce Pontife avait le pouvoir d'agir ainsi, et que la prétendue tradition, au moyen de laquelle on veut prouver que l'Église n'a pas ce pouvoir, est une pure chimère...

« *Secondement*. Se rapprochant un peu plus de la question, ils objectent les lettres de Grégoire II à Léon. Le saint Pape y formule la distinction entre l'objet du sacerdoce et celui de l'empire : il dit qu'il n'appartient pas au pouvoir pontifical de pénétrer dans les palais des rois et de disposer des dignités royales : ***Quemadmodum pontifex introspiciendi in palatia non habet potestatem, ac dignitates regias deferendi, sic neque imperator***, etc. (Epist. II Greg. II ad Leonem imp.) ; de ces textes ils concluent que si Grégoire II avait privé Léon des tributs et de la souveraineté de l'Italie, il aurait agi contrairement à son propre sentiment et à ses aveux, et se serait immiscé dans une affaire sur laquelle il confessait lui-même qu'il n'avait aucun droit. Mais cette conclusion ne découle en aucune façon de leurs prémisses. Que le Pape, comme Pape, n'ait pas le pouvoir de conférer ou d'ôter *directement* à quelqu'un la dignité royale et les principautés terrestres; que, dans ce cas, il ne lui appartienne point de pénétrer dans les palais, c'est-à-dire de disposer des magistratures et des dignités mondaines, attendu qu'il n'a aucun droit de seigneurie sur les rois de la terre, d'accord; mais il ne s'ensuit pas qu'il ne puisse ôter les dignités et les principautés terrestres *indirectement*, c'est-à-dire en absolvant les sujets de leur ser-

ment de fidélité, en les retirant de l'obéissance d'un roi vicieux et en leur défendant de lui payer tribut; et cela, non pour des motifs temporels, mais pour des causes purement spirituelles relatives au salut éternel et au péril commun de la religion, dont le Souverain Pontife est, par l'institution même de Dieu, le chef, le gardien et le défenseur. Ce pouvoir indirect du Souverain Pontife n'est pas temporel, mais spirituel : c'est ce pouvoir même que Jésus-Christ lui a conféré de lier et de délier les chrétiens qui lui sont soumis, soit en les obligeant à obéir à leurs princes légitimes, soit en faisant cesser ce devoir à l'égard des mauvais princes, selon que l'intérêt général de la religion, et de sa conservation, et le salut éternel des fidèles le demandent. Or, il est certain et de toute évidence que Grégoire II dans ses lettres parle uniquement du pouvoir *direct*, comme tout le contexte en fait foi. C'est donc sans raison qu'on invoque ses paroles contre le pouvoir *indirect* que nous soutenons et dont Grégoire II ne dit pas un mot. Ce n'était donc pas la peine que Bossuet, à propos des paroles de ce Pape, vînt rappeler qu'aujourd'hui les Souverains Pontifes disposent des duchés, des marquisats et même des royaumes et des empires, *at nunc ducatus, marchianatus, regna etiam atque ipsa imperia deferunt, adeo a prima illa gravitate ac simplicitate defecimus.* (Part. I, lib. VI, cap. xv.) Avec ces déclamations, soit dit sans l'offenser, il en impose au vulgaire ignorant en confondant le pouvoir spirituel du Pape avec celui qu'il possède comme Prince temporel. Ce n'est pas comme Pape et au nom de son pouvoir spirituel que le Pontife romain confère les duchés, les royaumes et les empires, mais comme Prince temporel, mais en vertu du domaine temporel que l'Église romaine a acquis par les voies ordinaires qui confèrent ce pouvoir, c'est-à-dire par la prescription et le consentement des peuples, source légitime et commune de toutes les principautés civiles et de tous les États... Il était encore plus hors de propos que Bossuet rap-

pelât avec Noël Alexandre, la réponse de Grégoire II à la menace de l'empereur Léon : *Persequeris me ac tyrannice vexas militari ac carnali manu : nos inermes ac nudi, qui terrenos et carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum* (epist. II)... Qui a jamais dit ou pourra jamais dire que le Pape en absolvant les sujets du devoir d'obéissance à l'égard d'un prince apostat et persécuteur de la religion et en défendant de lui payer tribut fait usage d'armes charnelles? Qui ne voit qu'il ne fait alors que se prévaloir du pouvoir spirituel que Dieu lui a donné pour l'édification de l'Église et pour la défense de la religion?

« *Troisièmement :* Ils objectent les passages où Paul Diacre et Anastase rapportent que les Italiens, poussés à bout par la persécution, et voulant élire un autre empereur, en furent détournés par Grégoire II... Mais nous accordons volontiers que telle fut dans les commencements la conduite de ce pape, comme elle fut plus tard celle de Grégoire VII à l'égard d'Henri... *Il espérait*, dit Anastase, *la conversion de l'impie Léon*. Mais l'obstination et la perversité de ce prince allant toujours croissant, il en vint à une détermination plus sévère; il retira les Italiens de l'obéissance de ce prince et les laissa libres de secouer son joug tyrannique. Ce qu'il fit dans un temps, c'est-à-dire en 726, ne détruit nullement ce qu'il fit dans un autre temps, c'est-à-dire en 730...

*Objectio IV*ª. — Non valere Græcorum testimonium, utpote Ecclesiæ Romanæ infensorum. — Hujus et sequentium objectionum confutationem desumimus, e manuscripta dissertatione gallica, jam supra citata. — Noël Alexandre et Bossuet disent que les historiens grecs, mal intentionnés à l'égard de l'Église romaine à cause de leur schisme, ont voulu la rendre odieuse en lui attribuant la perte que les empereurs grecs avaient faite de l'Italie, et pour cela ils ont fabriqué l'histoire par laquelle ils imputent à Grégoire II d'avoir fait révolter

les Italiens contre l'empire grec. Rien de plus frivole que cette objection. Car non-seulement saint Théophane, mais même Cedrenus, Zonare et Glycas rapportent le fait sans exprimer aucun blâme contre Grégoire II. Bien plus, ils comblent d'éloges ce pontife ; ils l'appellent un homme saint et apostolique, aussi admirable par sa science que par ses œuvres. S'ils avaient en vue de le rendre odieux auprès des empereurs de Constantinople, en lui imputant faussement d'avoir excité l'Italie à se détacher de l'empire d'Orient, lui auraient-ils prodigué tant d'éloges? Mais voici que Bossuet croit avoir trouvé dans le récit de saint Théophane et de Cédrenus un mot qui indique leur perfide dessein de rendre le Saint-Siége odieux, le mot ἀπέστησε. Ce mot, si on le considère bien, signifie, non pas précisément que Grégoire II *détacha* l'Italie de l'obéissance à l'empereur, mais qu'il la *poussa à se détacher*, qu'il la *fit révolter*. Et quand ce serait là le sens de ce mot, quelle liaison y a-t-il entre ce sens et le perfide dessein dont il accuse les deux historiens? Est-ce qu'un auteur tout à fait exempt de ce perfide dessein n'aurait pas pu dire, en racontant le fait, que Grégoire II *poussa* l'Italie *à se détacher?* Est-ce que les auteurs grecs qui auraient eu le dessein de rendre ce pape odieux, auraient mieux réussi par cette locution, *il poussa à se détacher*, que par cette autre, *il détacha?* L'observation philologique de Bossuet sur le mot ἀπέστησεν est d'ailleurs une pure méprise. Ce mot est la 3e personne du singulier de l'aoriste indicatif du verbe ἀφίστημι, et ce verbe correspond aux mots *détacher*, *subtrahere*, *divertere*, comme on pourrait le prouver par de nombreuses citations ; contentons-nous de cette phrase de Plutarque (in Solonem) : ταῦτα μὲν ἐμὲ γάμου ἀφίστησι, illa quidem me à matrimonio avertunt. Donc la traduction rigoureuse n'est pas *il poussa à se détacher*, mais *il détacha*, *subtraxit*, *divertit*. Ainsi l'hypothèse du perfide dessein dans les historiens grecs, non-seulement n'a aucun fondement dans le texte de leur récit, mais en est

positivement exclue par les louanges extraordinaires qu'ils prodiguent de concert à saint Grégoire II. — De plus cette hypothèse, complétement fausse à l'égard des quatre historiens grecs, est en particulier, à l'égard de saint Théophane, une inconcevable absurdité. Quoi! saint Théophane, un catholique orthodoxe, un saint canonisé, un confesseur illustre, mort en exil pour la défense des saintes images, et en même temps le panégyriste le plus déclaré de saint Grégoire II, aurait inventé à plaisir le fait en question dans le dessein perfide de rendre le Saint-Siége odieux? Et, néanmoins, Bossuet, pour n'avoir pas à admettre ce fait, n'a pas reculé devant cette gratuite insulte: *neque hic* (il parle de saint Théophane) *expers fuerit illius odii ac livoris quo Græci amissæ Romæ memores, in Ecclesiam Romanam inardescere tùm cœperant, ut scriptæ ad Gallos Nicolai primi de Græcorum objectionibus refellendis testantur litteræ sub imperatore Michaele Balbo, quo in Græcia imperante Theophanem scripsisse vidimus* (loc. cit., c. xii). Le savant Bianchi relève dans ce peu de lignes trois grossiers anachronismes, *tre grossissimi anacronismi* (t. I, p. 400), auxquels nous ne nous arrêterons pas. Nous ferons observer seulement comment Bossuet, se doutant bien qu'on croirait peu à la haine et à la jalousie prétendues de saint Théophane contre l'Église romaine (odii et livoris in Ecclesiam Romanam), imagine un autre expédient. Il n'est pas à croire, dit-il, que Théophane ait inventé lui-même cette fable; mais il aura recueilli avec crédulité les calomnieuses imputations de l'empereur Léon. *Neque Theophanes hæc ipse confixerit. Hæc enim omnia Leo imperator sancto pontifici imputabat* (part. I, l. II, c. xvii). Il avait auparavant préparé l'esprit de ses lecteurs en les avertissant qu'au sujet des affaires de l'Occident, saint Théophane n'avait recueilli que des bruits, des *on dit: nihil nisi rumusculos collegisse.* Cet expédient est d'abord en contradiction avec le premier. S'il a menti par crédulité, ce n'est donc point par méchanceté. De plus, il s'agit ici d'un événe-

ment capital de l'Orient, et dont saint Théophane était presque contemporain. Saint Théophane était si peu porté à prendre au positif les imputations de l'empereur Léon, qu'il raconte en détail celles que ce prince dirigeait contre saint Germain, patriarche de Constantinople, pour le perdre. Comment n'aurait-il pas vérifié, avant de la croire, l'accusation de révolte dirigée contre Grégoire II, s'il ne l'avait connue que par le dire de cet empereur, lorsqu'il dévoile lui-même l'habitude de ce prince de supposer des intentions et des tentatives perverses à ceux qu'il voulait perdre? D'ailleurs, dans le système de Bossuet, l'action de Grégoire II aurait dû paraître à Théophane un crime énorme; et, loin de là, il fait le plus grand éloge de ce pape.

Cinquième objection. — Les historiens grecs ne citent aucun décret de Grégoire II qui constate le fait en question. — Qu'importe? pourvu qu'ils attestent le fait lui-même. Est-ce qu'il n'est pas un grand nombre de faits pontificaux regardés comme incontestables, quoiqu'on n'en ait pas conservé les actes? Est-ce que les deux conciles romains, par exemple, contre les iconoclastes, l'un sous Grégoire II, l'autre sous Grégoire III, ne doivent pas être tenus pour certains? Et, néanmoins, nous n'en avons pas les actes et nous ne les connaissons que par les historiens, par Adrien I et par Anastase, qui en font mention sans citer aucun décret.

Sixième objection. — Si Grégoire II avait cru avoir le pouvoir indirect sur le temporel des rois, il n'aurait pas retiré seulement l'Occident de l'obéissance de Léon, mais aussi l'Orient. — Il suivrait de ce raisonnement de Bossuet que l'Église ne saurait avoir un droit sans en user en toute occasion et dans toute son étendue. Il s'ensuivrait qu'un concile œcuménique ayant le droit de déposer un évêque prévaricateur ne pourrait point se contenter d'une peine moindre lorsqu'il espérerait un plus grand bien de cette indulgence. Grégoire II ne pouvait-il pas espérer que ce châtiment partiel

suffirait pour ramener le malheureux prince, et ne pouvait-il pas même conserver la pensée de remettre les choses dans le premier état, lorsqu'il serait revenu à de meilleurs sentiments? Sa sentence aurait-elle eu d'ailleurs une exécution aussi facile et aussi utile à la religion en Orient qu'en Occident? Qui jamais a songé à nier le pouvoir d'un évêque sur son prêtre, d'un père sur son enfant, lorsque cet évêque et ce père n'usent pas de leur pouvoir selon toute son étendue? Et comment, Bossuet a-t-il oublié le mot de saint Paul : *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt?* A moins que Bossuet ne prétende, préférant son appréciation, séparée des événements par tant de siècles, à celle du pape contemporain, qu'il eût été plus utile d'ôter aussi l'Orient à Léon; mais encore alors il s'ensuivrait seulement que saint Grégoire II a mal jugé la situation en ne frappant que partiellement le coupable, et nullement qu'il n'ait pas cru avoir le droit en question. Qui ne voit que si ce pontife avait étendu son décret sur l'Orient, où Léon avait à ses ordres une puissante armée, il était à craindre qu'il n'en résultât pour les orthodoxes de nouvelles persécutions et d'affreux massacres? En Italie, au contraire, les fidèles étaient en mesure de résister et se trouvaient disposés à le faire.

Septième objection. — Grégoire III, dans sa lettre à Léon l'Isaurien, le reconnaît comme empereur; or, il ne lui aurait pas reconnu ce titre, si son prédécesseur, Grégoire II, lui avait ôté la souveraineté de l'Italie. — De ce que Grégoire II n'avait ôté à Léon que la souveraineté de l'Italie, il suit au contraire que ce prince était encore empereur d'Orient et que Grégoire III devait lui reconnaître ce titre. On ne comprend pas que Bossuet ait pu faire un si singulier raisonnement. — Mais la supplique adressée à Léon par Grégoire III pour le rétablissement des images, fut généralement souscrite par les provinces d'Italie. — Si les catholiques français signaient aujourd'hui une supplique du pape au grand-turc, en con-

clurait-on qu'ils reconnaissent sa souveraineté? Il y a plus. Lors même que Grégoire II aurait ôté à Léon l'Orient avec l'Occident, s'ensuivrait-il que lui ou son successeur n'auraient pas pu revenir sur cet acte? Est-il vrai, d'ailleurs, que Grégoire III ne suppose nulle part que l'Italie ait été soustraite à l'obéissance de Léon? Et que signifie la phrase où il dit à Charles Martel que le peuple romain a rejeté la souveraineté de l'empereur (*relicta imperatoris dominatione*)?

Quant au témoignage d'Anastase le Bibliothécaire, Bossuet s'en tire avec une adresse de prestidigitateur. Voici les paroles d'Anastase : *Paul l'exarque, selon qu'il en avait reçu ordre de l'empereur, s'efforçait de mettre à mort le pape, parce qu'il empêchait le payement des tributs : eo quod censum ponere præpediebat*. Eh bien, Bossuet a découvert que cette affirmation *censum ponere præpediebat* n'est pas du tout celle d'Anastase : elle est uniquement la calomnie de l'exarque, et Anastase en cet endroit n'est que l'historien de cette calomnie. Il a voulu dire que l'exarque prétextait faussement que le pape empêchait les tributs. Désormais, quand un historien écrira que *Bossuet combattit fortement Fénelon parce que ce dernier était tombé dans l'erreur du quiétisme*, cet historien ne voudra pas dire du tout que Fénelon soit tombé dans le quiétisme, mais seulement que Bossuet le prétextait. De pareilles entorses données aux textes les plus clairs n'ont pas besoin de réfutation.

Nous passons sous silence quelques difficultés prises de la chronologie, par lesquelles Bossuet s'est efforcé d'obscurcir le fait célèbre que nous venons de constater. Le lecteur pourra les voir réfutées et complétement mises à néant dans le seizième paragraphe du second livre de Bianchi. Concluons :

Il demeure acquis, comme fait incontestable, que le pape saint Grégoire II a cru pouvoir retirer l'Italie de l'obéissance de l'empereur Léon, et défendre aux Italiens de payer tribut à ce prince. Donc il s'est attribué un pouvoir sur le temporel des États.

CAPUT IV

SANCTUS ZACCHARIAS PAPA, ANNO CIRCITER 751, DICTAM IN TEMPORALIA POTESTATEM SIBI VINDICAVIT.

Hujus facti probationem desumimus e manuscripta dissertatione gallica, jam pluries citata.

Le cardinal Du Perron, dans sa harangue au tiers-état, exposa ainsi le fait :

« Quand les Français résolurent de destituer Childéric et mettre Pepin en son lieu, encore que la raison pour laquelle ils voulaient oster Childéric fut son impertinence et sa stupidité, néanmoins d'autant qu'elle touchait la religion par accident, à cause que l'imbécillité de Childéric mettait la France en danger de perdre la religion chrétienne par l'invasion des Sarrazins, qui avaient occupé toute l'Afrique et l'Espagne et ravagé déjà par plusieurs fois la France, et d'ailleurs qu'il s'agissait de l'absolution d'un serment en matière de conscience, ils ne voulurent jamais faire l'hommage à Pépin que le pape ne les eût absous au tribunal spirituel du serment précédent qu'ils avaient prêté à Childéric. *Pépin*, dit Paul-Émile (de rebus gestis franc. in Child. 3) après infinis autres, *envoya Burchard, évêque de Wisbourg, vers le pape Zacharie, afin qu'il dissolut la religion du serment par lequel les Français s'étaient liés à Childéric*. Et derechef : *le Pape absolut les Français du serment qu'ils avaient prêté à Childéric, et eux assemblant les États, firent hommage à Pépin en qualité de roi*. Et le sieur du Tillet en ses Mémoires : *Pour oster*, dit-il, *le blasphème du parjure et infidélité, fut advisé d'envoyer au pape Zacharie, Végard, évêque de Wisbourg, et Fulrad, chapellain du dit Pépin, pour obtenir absolution aux dits subjets du serment faict au dit roi Childéric, et approbation de l'élection en roi*

faitte du dit Pépin. Ce qui fut accordé par le dit pape. » (Harangue au tiers-état, page 26.)

Ce fait est un des plus éclatants de l'histoire de France, et il ne s'accorde pas avec le système des Gallicans. De là leurs efforts inouïs pour l'obscurcir. Mais comment s'y prendre? les témoignages contemporains sont si positifs! *Anno septingentesimo quinquagesimo secundo, Zacharias papa ex auctoritate S. Petri apostoli, mandat populo Francorum, ut Pipinus qui potestate regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildericus rex qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus et in monasterium missus est; Pipinus vero in civitate Suessionum a S. Bonifacio archiepiscopo in regem unctus, regni honore sublimatus est.* (Ann. franc., à Pithæo editi, et Eghinardo adscripti.) Eginard, auquel on attribue les annales que nous venons de citer, a écrit la vie de Charlemagne dont il avait été le secrétaire; il y rappelle le même fait: *Gens Merovingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Childericum regem, qui jussu Stephani Romani pontificis depositus, ac detunsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur... Pipinus autem per auctoritatem Romani pontificis ex præfecto palatii rex constitutus.* Voici encore des témoignages contemporains ou à peu près: *Hoc anno, secundum Romani pontificis sanctionem, Pipinus rex Francorum appellatus est, et ad hujus dignitatem honoris unctus sacrâ unctione more sanctæ memoriæ Bonifacii archiepiscopi et martyris... elevatus in solium regni in civitate Suessionâ.* (Annales Laureshamenses). — *Et Zaccharias papa mandavit ut melius esset illum regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine regali potestate manebat... Per anthoritatem ergo apostolicam jussit Pipinum regem fieri... Pipinus more Francorum electus est ad regnum, et unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii archiepiscopi.* (Annales Loiselliani ad ann. 749 et 750.) — On pourrait croire qu'il y a contradiction entre ces historiens en ce que les uns font sacrer Pépin par saint Boniface, archevêque de Mayence,

et les autres par le pape Étienne III; mais il n'en est rien : Pépin fut sacré deux fois; d'abord par saint Boniface, et, trois ans plus tard, par le pape Étienne III, successeur de Zacharie, qui était mort peu de temps après l'élection de Pépin. Cette double onction est devenue un fait incontestable par un monument de l'an 767 que Mabillon a publié dans son livre, *De re diplomaticâ*, l. V, p. 384. Ce monument précieux est un autographe ajouté à l'ouvrage de saint Grégoire de Tours, et dont l'auteur atteste lui-même la date, c'est-à-dire l'an 767: *Nam ipse prædictus domnus florentissimus Pipinus rex pius, per auctoritatem et imperium sanctæ recordationis domni Zachariæ papæ, et unctionem sancti chrismatis per manus beatissimorum sacerdotum Galliarum et electionem omnium Francorum, tribus annis anteà in regni solio sublimatus est; posteà per manus ejusdem Stephani pontificis die uno in beatorum prædictorum martyrum Dionisii, Rustici et Eleutherii ecclesiâ... in regem et patricium, unâ cum prædictis filiis Carolo, Carlomanno, in nomine Sanctæ Trinitatis unctus et benedictus est... Et tali omnes interdicto et excommunicationis lege constrinxit, ut nunquàm de alterius lumbis regem in ævo præsumant eligere, sed ex ipsorum quos divina pietas exaltare dignata est, et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare disposuit.*

Assistons maintenant aux tours d'adresse et aux curieuses manœuvres des auteurs gallicans en présence de ce fait qui renverse leur systéme. Jean Launoy, le falsificateur reconnu des textes, s'avise de dire que le passage d'Éginard dans la vie de Charlemagne a été falsifié. Et quelle preuve en donne-t-il? pas une, pas l'ombre d'une, comme le montre Charlas (*de Libert. eccl. gall.*, t. II, l. VII, c. x). C'est donc une pure imagination de Launoy; mais il y a recours faute de mieux. Noël Alexandre[1], en sa qualité d'érudit, aurait eu honte de l'assertion de Launoy. Mais lui, que va-t-il imaginer? — Le témoi-

[1] Sæcul. VIII, dissert. 2.

Propositio 1ª. — *Sæculo I, dictam in temporalia potestatem sibi vindicavit sanctus Paulus apostolus, prohibendo ne christiani lites suas ad infidelium tribunalia deferrent.* — Norunt omnes illam apostoli Pauli prohibitionem. Nec minus notum ejusmodi constitutum jam inde in generalem Ecclesiæ legem et praxim transiisse. Narrat sanctus Augustinus quam onerosum sibi

foret hocce lites judicandi officium. Et in concilio Carthaginiensi IV ita sancitur: *Ne catholici apud infideles causas proponant.* (Mansi, appendix ad concilia sæculi sexti, t. VIII, p. 1218.) Porro ita sanciendo, Ecclesia in rem temporalem statuum sibi jus aliquod vindicavit. Tali quippe decreto, potestatis laicæ tribunalia quoad fideles supprimebat, et alia instituebat. Unde, ad Christum conversa tota gente aliqua, gentis illius rex prærogativam lites inter subditos dirimendi amisisset.

Objicies 1°. — Jam antea de jure naturali Christianis licebat Cæsaris tribunalia non adire, et lites suas per arbitros componere : ergo dicta lex ecclesiastica nihil immutavit quoad laicam potestatem.

Respondeo. — Antea licebat quidem fidelibus dicta tribunalia non adire; at simul licebat adire. Lata autem dicta lege ecclesiastica, jam non licuit. Ergo ingens e contra intervenit quoad laicam potestatem immutatio. Nam secluso dicto ecclesiastico decreto, plurimas christianorum lites, eorum nempe qui maluissent Cæsaris tribunal adire, laica potestas de facto judicasset, et de jure judicare potuisset. At post editam legem ecclesiasticam, de facto ad ipsam nullæ delatæ sunt christianorum causæ; aut si paucæ quædam, eorum dumtaxat quos Ecclesia ob id sinu suo ejiciebat. Insuper has etiam paucas jure non judicavit, cum litigantes sine gravi peccato ejus judicium requirere non potuerint.

Propositio 2ª. — *Potestas excommunicandi, quam initio et semper habuit Ecclesia, secum involvit aliquam in temporalia potestatem.* — Certum est, Ecclesiæ competere, quoad christianos omnes, excommunicandi potestatem. Atqui ex illa potestate necessario sequitur posse regem aliquem ab Ecclesia indirecte deponi. Nam si Romanus pontifex sub excommunicatione prohibeat ne tali regi, religionis catholicæ ruinam molienti, ejus subditi obediant, hoc ipso rex iste potestate sua regia privatus remanebit. Hocce argumentum simplicissimum

ut effugeret Bossuetius, multum extra quæstionem vagatus est. « L'auteur de la Défense, inquit Bianchi, admet que l'Église peut exercer directement son pouvoir spirituel sur les mauvais princes en les excommuniant et les séparant de la société des fidèles et de la participation aux choses saintes, et que c'est en cela que la puissance sacerdotale peut déployer sa force pour punir les princes pervers et apostats de la vraie religion. (*Defensio*, t. I, part. II, l. V, — alias lib. I, sect. II, cap. XXI.) Mais il nie que ce pouvoir spirituel puisse s'étendre indirectement au temporel des princes; et pour le prouver, il emploie neuf chapitres entiers à établir que l'excommunication n'emporte pas avec elle la séparation de la société civile pour ceux qu'elle a frappés, et qu'elle ne leur enlève rien de leurs domaines temporels (*ibid.*, c. XXII-XXX), ce que nous lui accordons volontiers. Mais il fait voir en raisonnant ainsi qu'il n'a pas compris le sens de la question. » (Bianchi traduit par Peltier, *Traité de la puissance ecclésiastique*, t. I, p. 535, Paris 1857.) Nimirum quæstio est an excommunicatio effectum producat, ex quo postea, ob connexitatem quamdam, sequitur principis exauctoratio. Porro excommunicatio a summo Pontifice pronuntiata contra eos qui in posterum alicui regi hæreseos fautori obedientiam præstabunt, revera ejusmodi effectum producit; videlicet generalem populi determinationem qua regem illum omnes rejiciunt, obedientiam ipsi denegando, ne excommunicationem incurrant. Et hoc modo a papa deponi posse regem confessus est Joannes de Parisiis. Is nempe licet regalis potestatis propugnator acerrimus, et quamvis pro Philippo rege contra Bonifacium VIII scripserit (teste du Boulay, *Hist. universitatis Paris.*, t. IV, ad annum 1303), sic habet in suo tractatu *De potest. reg. et papal.*, c. XII : « Si esset hæreticus (rex) et incorrigibilis et contemptor ecclesiasticæ censuræ, posset papa aliquid facere in populo, unde privaretur ille sæculari honore et deponeretur a populo..... excommunicando scilicet omnes qui ei ut domino obedirent;

et sic populus ipsum deponeret, et papa per accidens. »

Propositio 3ª. — *Initio sæculi IV dictam Ecclesiæ in temporalia potestatem testantur concilium Eliberitanum anni* 305, *et concilium Arelatense anni* 314. — Anno 305, a concilio Eliberitano primo, canone 56, decretum est in hunc modum : *Magistratum vero uno anno quo agit duumviratum, prohibendum placuit ut se ab Ecclesia contineat.* — Isti *duumviri* per annum præponi solebant municipiis et coloniis Romanis. Quod munus, utpote tunc temporis aliquod prævaricationis periculum secum trahens, Eliberitani concilii Patres jusserunt a fidelibus non exerceri; quod si exercerent eos toto tempore ecclesiastica communione privari. Jam vero Patres illi sibi jus tribuendo quædam civilia munia interdicendi, ut animarum saluti consulerent, hoc ipso jus aliquod in rem temporalem societatis civilis sibi vindicarunt. Postea vero visum est permitti posse supradictum munus, dummodo tamen dicti magistratus ita illo fungerentur, ut in disciplinam ecclesiasticam nihil detrimenti redundaret.

Anno quippe 314 concilium Arelatense, canone septimo, de prædictis duumviris seu præsidibus, ita decrevit : « De præsidibus qui fideles ad præsidatum prosiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias; ita tamen ut in quibuscumque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur, et cum cœperint contra disciplinam agere, tum demum a communione excludantur. » Igitur Arelatenses patres sibi jus adscripserunt magistratus adigendi sub excommunicationis pœna, ad gerendum certo modo munus suum; id est, eo modo ex quo non sequeretur religionis detrimentum. Quod quidem Ecclesiæ jus rem temporalem statuum plane attingit. Sane si hodie Pius Papa IX sub excommunicationis pœna decerneret, ne ullus in Gallia catholicus, judicis munus exercendo, quasdam hodierni gallicani codicis leges, religioni adversantes, applicaret, hoc ipso ad dimittendum munus suum multos magis-

tratus adigeret. Non enim pateretur gubernium dictas leges non applicari; et applicare renuentes exauctoraret. Sic autem agendo, Pius IX societatis civilis rem temporalem attingeret; neque ullus id negaret, sed quamplurimi furibundis clamoribus in crimen verterent. Porro id ipsum æquivalenter ineunte sæculo IV peractum; a concilio scilicet Eliberitano, quoddam civile munus omnino interdicente; et ab Arelatensibus patribus, gerendi ejusdem muneris modum quemdam prohibentibus.

Propositio 4ª. — *A sæculo IV usque ad XI per disciplinam pœnitentiæ publicæ, aliquam in temporalia potestatem Ecclesia sibi vindicavit.* — Thesis hujusce probationem, desumimus e manuscripta dissertatione gallica, jam pluries citata, quæ sic habet.

« Toute la thèse se résume dans les points suivants, que nous allons prouver : 1° Quoique les fidèles se soumissent quelquefois librement et par dévotion à la pénitence publique, la loi ecclésiastique y obligeait et y soumettait d'autorité les chrétiens qui s'étaient rendus coupables de certains crimes. 2° La pénitence publique, tant celle de dévotion que celle qui était imposée d'autorité, emportait pour toujours la privation de toutes les charges civiles et militaires. 3° Cette discipline de l'Église atteignait les rois et les princes comme tous les autres chrétiens. 4° Elle est un exercice du pouvoir de l'Église sur le temporel des sociétés civiles.

I. Dans la discipline en vigueur depuis le quatrième siècle jusqu'au onzième, la pénitence publique était imposée d'autorité par l'Église à ceux qui avaient commis certains crimes publics. — On sait de quel poids est l'autorité de Jean Morin dans cette matière, et quelles savantes recherches il a faites sur les questions qui concernent la pénitence publique. Voici comment il s'exprime relativement au point qui nous occupe : *Quum peccatum erat publicum, ad pœnitentiam publice agendam peccatores excommunicatione et omnimoda ab ecclesia expulsione*

cogebantur. At cum peccatum erat occultum, pœnitentiæ publicæ actio erat spontanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ulla excommunicatione, aut sacramentorum publica denegatione. (De sacram. pœnitentiæ, l. V, c. xvii, n. 7, édition de Bruxelles, 1685, pag. 298.) Morin ajoute que, vers le huitième siècle, on voit fréquemment l'autorité royale prêter à l'Église l'appui du bras séculier pour forcer à la pénitence publique ceux qui s'y trouvaient obligés par les canons: *Regnantibus... Carolovingiis passim auctoritate regia per Germaniam, Italiam et Galliam peccatores publici ad pœnitentiam publice agendam coacti sunt, ut libro septimo demonstrabimus. Ante illa sæcula sola auctoritate spirituali, sacramentorum scilicet denegatione aut etiam ab Ecclesia expulsione ad eam agendam cogere mos fuerat.* (Ibid., n° 8.) Quant aux monuments qui constatent cette législation de l'Église, ils sont si nombreux qu'on en remplirait des volumes. Contentons-nous d'en citer quelques-uns. Le concile de Milève, de l'an 416, auquel assista saint Augustin, s'exprime ainsi dans le 17e canon : *Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam.* (Collect. conc. de Coleti, t. III, page 384.) Le savant J. Morin pense que ce canon est le premier exemple du recours au bras séculier pour forcer à la pénitence publique, attendu que saint Augustin avait professé auparavant l'opinion que les hérétiques ne doivent pas être contraints par des amendes et des peines corporelles à rétracter leurs erreurs, opinion qu'il changea lorsqu'il vit les Donatistes quitter le schisme et revenir à l'orthodoxie par la crainte de ces peines. (Morinus, De sacram. pœnit., l. VI, c. xx, n. 4.) L'an 630, les évêques des Gaules, réunis en grand nombre à Reims, firent contre les incestueux le canon suivant, qui est le 8e : *De incestis conjunctionibus : si quis infra præscriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his perso-*

nis quibus a divinis regulis prohibetur se conjunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priventur; et neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando prædicti incestuosi se conjunxerint, episcopi seu presbyteri in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, regi vel judicibus scelus perpetratum annuntient: ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent. Et res eorum ad proprios parentes perveniant, sub ea conditione ut antequam sequestrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perveniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur. (Coleti, Coll. conc., t. VI, pag. 1434.) Ainsi les coupables dont il est parlé dans ce canon étaient excommuniés et privés de leurs biens; et tant qu'ils ne s'étaient point séparés et soumis à la pénitence canonique, ils ne pouvaient point recouvrer ces biens, même en les achetant; il était interdit à leurs parents de les leur livrer, et l'autorité royale ne pouvait pas elle-même les leur faire recouvrer. L'an 461, le premier concile de Tours faisait les deux canons suivants: *Homicidis penitus non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur* (canon 7°). *Si quis vero post acceptam pœnitentiam sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta quam professus est pœnitentia, fuerit reversus, a communione Ecclesiæ, vel a convivio fidelium extraneus habeatur, quo facilius et ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, et alii ejus terreantur exemplo.* (Can. 8, Collect. concil. Coleti, t. V, p. 76.)

Il ne sera pas hors de propos d'avertir que l'expression *agere pœnitentiam* dans les canons des Pères latins s'entendait de la pénitence publique. Morin le prouve *ex professo* dans le chapitre VII[e] du IV[e] livre de son ouvrage. Ce chapitre est ainsi intitulé: *Cum in latinorum Patrum canonibus aut scriptis ad pœnitentiam monentur, urgentur aut damnantur criminum rei, pœnitentia publica intelligitur.*

Il est donc incontestable que l'Église a obligé certains pécheurs à la pénitence publique, d'abord en les excommuniant s'ils ne s'y soumettaient pas, plus tard en invoquant même le bras séculier pour les y contraindre. Voyons maintenant les effets temporels qu'entraînait inséparablement la pénitence publique.

II. La pénitence publique, tant pour ceux que les canons y obligeaient que pour ceux qui se l'imposaient volontairement et par dévotion, emportait la privation perpétuelle de toutes les charges civiles et militaires. — Citons d'abord l'autorité de Morin. Il pose ainsi sa thèse :

Militiæ et negotiorum secularium exercitium, matrimonii in conjugatis usum, in non conjugatis contractum, publice quacumque de causa pœnitentibus... a sæculo quarto ad octavum interdicta fuisse (l. V, c. XXI, édit. de Bruxelles, p. 307).

Le même auteur, en parlant de ces effets de la pénitence publique, s'exprime ainsi : *Stupenda illa pœnitentiæ publicæ adjuncta multiplicia quidem sunt, sed in duo capita facile colligi possunt. Prius est matrimonii quoad torum attinet perpetua separatio, et mortuo conjuge, ne altero matrimonio jungantur severa interdictio. Posterius, a militia seculari cui antea vacabant, hoc est ab officio seculari... ut militia bellica, mercimonia, forenses causæ, judicia civilia, et ejusmodi, perpetua cessatio, non tantum eo tempore quo pœnitentiam agebant. Hæc nisi testatissimis auctoritatibus demonstrarentur, incredibilia plane et merito viderentur. Sed testimoniis adeo evidentibus, frequentibus et augustis fulciuntur, ut nulla vel tenuissima dubitationis umbra superesse possit.* (Ib., c. XVIII, p. 301.)

On voit que Morin, accoutumé à considérer l'Église au point de vue du gallicanisme, c'est-à-dire comme une puissance tellement reléguée dans la sphère du spirituel qu'elle n'ait pas à se mêler de régler en rien la vie temporelle et civile, était dans la stupeur en voyant cette même Église, à partir du quatrième siècle, atteindre par sa discipline les affaires

civiles les plus capitales. Sa stupeur en cette rencontre ne fait que donner plus de prix à son témoignage. Voici quelques-unes des autorités qui l'ont convaincu. Le Pape saint Sirice, dans sa lettre à Himère, évêque de Tarragone, l'an 385, s'exprime ainsi : *De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes, et militiæ cingulum, et ludicras voluptates et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam, generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati quamvis non mereantur intersint : a dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.* (Collect. concil. Coleti, t. II, p. 1214.) — L'an 538, le troisième concile d'Orléans disait dans son 25ᵉ canon : *Si quis pœnitentiæ benedictione suscepta ad sæcularem habitum militiamque reverti præsumpserit, viatico concesso usque ad exitum excommunicatione plectatur.* (Coleti, t. V, p. 1280.) — L'an 452, le second concile d'Arles sanctionne une discipline encore plus sévère dans son 21ᵉ canon : *Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præsumpserit... cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari.* (Coleti, t. V, p. 5.) — L'an 540, le premier concile de Barcelone parlait ainsi de la pénitence publique : *Pœnitentes viri tonso capite et religioso habitu utentes, jejuniis et obsecrationibus vitæ tempus peragant* (can. 6). *Ut pœnitentes epulis non intersint nec negotiis operam dent* (can. 7,

Coleti, t. V, p. 1361). — Le second concile du même lieu, l'an 599, disait dans son 4e canon : *Si qui hominum utriusque sexus pœnitentiæ benedictionem expetendo a sacerdote percepe-rint, et ad terrena connubia sponte transierint... ab hominum catholicorum communione sint separati...* (Coleti, tom. VI, p. 1340.) — L'an 440, le Pape saint Léon écrivait à Rustique, évêque de Narbonne : *Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem.* A ces témoignages, qu'il serait inutile de multiplier, nous joindrons l'explication plus étendue de cette discipline qu'on trouve au chap. XV du livre *de Vera et falsa pœnitentia*, ouvrage que les anciens auteurs ont coutume de citer sous le nom de saint Augustin : *In his omnibus dolens aut sæculum derelinquat, aut saltem illa quæ sine admistione mali non sunt administrata, ut mercatura et militia, et alia quæ utentibus sunt nociva, ut administrationes sæcularium potestatum, nisi his utatur ex obedientiæ licentia... Abstineat a multis licitis qui per libertatem arbitrii commisit illicita. Semper offerat Deo mentem et cordis contritionem, etc...* (Apud Morinum, *de Pœnit.*, edit. Bruxelles, p. 302.)

C'était chose si certaine au septième siècle que la pénitence publique, tant celle qui était imposée d'autorité par l'Église pour les péchés publics, que celle qu'on recevait librement et par dévotion, emportait jusqu'à la fin de la vie la privation de toutes les charges civiles et militaires, que le roi d'Espagne Vamba ayant voulu, en 681, se mettre au nombre des pénitents, dut, à cause des lois ecclésiastiques, se démettre du gouvernement de ses États : *Cum autem*, dit Morin (l. V, c. XXI, n. 5), *ex regulis ecclesiasticis necesse esset agentem pœnitentiam publicam militiæ sæculari valedicere, ipse rex potentissimus, universæque Hispaniæ et Galliæ Narbonensis dominus, nullius criminis quod cognitum sit conscius, regno se abdicat, Ervigium principem sibi successorem eligit, tonsusque et pœnitentiæ habitu indutus pœnitentiam suscipit.*

III. La discipline de la pénitence publique n'admettait aucune exception pour les rois. Cette hypothèse contraire est dénuée de tout fondement. Les lois de l'Église sur la pénitence publique sont conçues en des termes qui comprennent tous les chrétiens. Pour admettre que l'Église a fait une exception en faveur des rois, il faudrait que cette exception fût expressément formulée. Les gallicans chercheraient en vain cette exception ; ils n'en trouveront pas le moindre vestige. *Ce serait*, dit Bianchi, *bien mal juger de l'esprit qui animait l'Église, surtout pendant les premiers siècles, que de s'imaginer qu'elle ait établi le remède de la pénitence publique pour les fautes des simples fidèles et non pour celles des princes, comme si la dignité mondaine de ces derniers était quelque chose de plus précieux à ses yeux que le salut de leur âme.* Le même auteur fait ensuite observer que la pénitence publique, malgré ses rigueurs, était bien moins terrible que la peine de l'excommunication dont l'Église n'usait qu'à la dernière extrémité, c'est-à-dire lorsque les pécheurs refusaient de se soumettre à la pénitence publique, ou qu'après l'avoir accomplie ils retombaient dans leurs premières fautes. L'Église aurait donc traité les princes bien plus rigoureusement que le reste des chrétiens, puisqu'elle n'aurait employé pour les corriger que la peine extrême de l'excommunication, tandis qu'avant de frapper de ce terrible coup les autres fidèles, elle aurait essayé de les guérir sans les séparer de son sein. (Bianchi, l. III, § 11, t, I, p. 456.) Rien dans les monuments ecclésiastiques n'autorise l'hypothèse d'une exception par rapport aux princes chrétiens quand il s'agit des lois disciplinaires de la pénitence publique. Ces monuments constatent, au contraire, comme nous le verrons plus bas, que ces lois étaient regardées comme applicables aux souverains, et qu'on les leur a réellement appliquées. Concluons.

IV. Par la discipline de la pénitence publique, l'Église a exercé un pouvoir sur le temporel des sociétés civiles. — En

effet, c'est un droit incontestable de l'Église, droit inhérent au pouvoir des clefs, d'imposer des pénitences publiques aux chrétiens de toute condition qui se sont rendus coupables de péchés publics. Il est certain qu'elle a exercé ce droit depuis le quatrième siècle jusqu'au onzième, et par conséquent depuis que les princes devenus chrétiens se sont soumis au joug de l'évangile. D'autre part, c'est un fait non moins incontestable que la pénitence publique emportait la privation perpétuelle des charges civiles et militaires. Or, priver à perpétuité des citoyens de leurs charges civiles et militaires, c'est évidemment exercer un pouvoir sur le temporel de la société civile. Donc l'Église a jugé qu'elle avait un véritable pouvoir, quoique indirect, sur le temporel des États. Nous disons pouvoir indirect, en ce sens qu'elle ne privait ses enfants des charges civiles et militaires qu'en les soumettant à une expiation incompatible avec ces charges.

Vouloir échapper à cette conclusion en disant, comme le fait Bossuet, que la pénitence publique n'était imposée qu'à ceux qui le voulaient bien, c'est avoir recours à une contre-vérité. Nous avons montré que les lois de l'Église obligeaient rigoureusement et en conscience certains pécheurs à la pénitence publique, et les excommuniaient s'ils ne s'y soumettaient pas. Ils n'étaient donc pas libres.

Propositio 5ª. — *Anno 491, Euphemius, Constantinopolitanus Episcopus, sibi jus vindicavit Anastasium in imperatorem non agnoscendi, antequam orthodoxam fidei professionem emisisset.* —Eutichianæ scilicet hæresi Anastasius adhæserat. Quapropter cum ipsi ab imperatrice Ariadne ac senatu dignitas imperialis delata est, noluit Euphemius Episcopus eum in imperatorem agnoscere, nisi hæreseos suspicionem orthodoxa fidei professione diluisset. Factum testantur historici tres, Victor Tunonensis, Evagrius, et Theodorus Anagnostes; quos in hunc modum citavit cardinalis du Perron (Harangue au tiers état, p. 18, édit. de Paris, 1515) : *Anastase, pressé par l'évêque de*

Constantinople, fut contraint de promettre par écrit de ne rien attenter de sinistre contre la foi apostolique et le concile de Chalcédoine. (Victor Tun. in *Chronico a* Scaligero edito.) *L'impératrice Ariadné, voulant faire vestir l'habit impérial à Anastase, l'évêque Euphémius n'y voulut jamais consentir qu'il ne lui eût auparavant livré une profession écrite de sa main.* (Evagrius, *Hist. eccl.*, lib. III, cap. XXXII.) *Anastase, ayant été déclaré empereur par l'impératrice Ariadné, l'évêque Euphémius lui résista, l'appelant hérétique et indigne de commander aux chrétiens,* καὶ των χριστιανῶν ἀναξίον. *Néanmoins l'impératrice et le sénat, traînant par violence Euphémius, s'efforcèrent de le contraindre; mais il n'en voulut jamais rien faire, qu'il n'eût tiré de lui une profession par écrit d'embrasser la doctrine du concile de Chalcédoine.* (Theod. Anagnos., l. II, Collectan., *Hist. eccles.*)

Igitur sibi jus vindicavit Euphemius obedientiam in hoc casu recusandi, tum imperatrici, tum senatui, tum noviter electo imperatori Anastasio; et licitum sibi existimavit dictum Anastasium in imperatorem non agnoscere, ob periculum rei catholicæ imminens si vir hæreticus Orientem regeret.

Objicies 1°. — Erravit Euphemius id juris sibi tribuendo.

Respondeo. — Quæstio hic non est, erronea necne fuerit persuasio dictum jus ecclesiasticæ potestati attribuens. Sed quæstio est, an talis persuasio de facto extiterit et in praxim redacta sit. Porro certum omnino factum. Ab ejusmodi autem factis, generalem Ecclesiæ praxim constituentibus, legitime ad jus fiet illatio.

Objicies 2°. —Forsan imperii leges, prout tunc vigebant, ad validam imperatoris electionem necessarium fecerant Episcopi Constantinopolitani consensum. Qua stante hypothesi, allegatum factum nihil probaret; siquidem non egisset Euphemius ex ecclesiastico, sed ex civili jure suo.

Respondeo. —Si leges imperii Constantinopolitanum præsulem sic erexissent in magnum electorem, a cujus nutu quæ-

libet imperatoris electio penderet, de tanta prærogativa crebra occurrerent historica documenta, et ipsa in singulis imperatorum electionibus usos Constantinopoleos præsules fuse historici enarrarent. Notissimum insuper foret imperiale decretum, quo dicta Episcopalis sedes hoc insigni jure exornata fuisset. Porro de tali prærogativa ne vestigium quidem monumenta historica exhibent. Cæterum objectionem istam, utpote aperte absonam, urgere non solent Gallicani systematis propugnatores; sed ad sequentem confugiunt.

Objicies 3°. — In vim legum imperialium tunc vigentium, imperiali dignitati obstabat hæresis. Ergo Euphemius, non ecclesiastico, sed Cæsaris jure nixus restitit.

Respondeo. — Si hæreticis ad imperialem thronum viam interclusisset sola lex Cæsarea, quod Cæsar edixerat, poterat Cæsar revocare. Igitur imperatrici Ariadnæ ac senatui Anastasium in imperatorem eligentibus, ad frangendam Euphemii resistentiam non opus fuisset nisi hoc solo dicto : Etiamsi Anastasius hæreticus sit, prout tu contendis, valet electio; quia nos præcedentium imperatorum legem, valori obstantem, revocamus. Statimque Euphemius, si revera ob solam dictam Cæsaream legem restitisset, novo imperatori, licet hæretico, obedientiam præstitisset. Cum præsto esset tam facile concordiæ medium, cur res aliter componi non potuit quam coacto Anastasio fidei professionem ab Euphemio postulatam emittere? Inde sane quod Euphemius non ex lege Cæsarea, sed ex lege Christi, jus suum, immo et officium putavit, hæreticum virum in imperatorem non agnoscere, et ne agnosceretur toto nisu obsistere.

Objicies 4°. — Etiam juxta ultramontanæ doctrinæ placita, causa hæc e *majoribus* fuit, Romano Pontifici reservatis; ac proinde non nisi mandante vel saltem annuente Romano antistite, jure potuisset Euphemius novo imperatori dicto modo resistere. Quod autem fecit illicite, curandum non est.

Respondeo. — Unde habes, proprio marte id egisse Euphe-

mium, et non collatis prius cum Romana Sede consiliis, et annuente ac exhortante Romano Pontifice? Nam quandoque Sedes Apostolica utilius reputat, quæ in nonnullis regionibus peragenda sunt, non per seipsam immediate injungere, sed per ejusdem regionis Episcopos. De quo insigne occurrit exemplum in verbis, a Gelasio Papa ad hunc eumdem Euphemium, anno 492, directis, de expungendo e dypticis Acacii nomine. Ne sibi invidiam concitaret, nolebat Euphemius expunctionem illam Constantinopolitano populo præcipere; sed Gelasio suggerebat ut ipse legatos mitteret qui ad id populum cogerent. Ad quod respondit Gelasius: *Sed nos dicitis debere dirigere qui eam* (plebem Constantinopolitanam) *valeant mitigare. Quomodo me auditura est quem videtur habere suspectum, si præsules suos despicit admonentes? Nonne ipsis apostolis est præceptum in aliquibus regionibus verbi prædicatione non uti, his quippe in quibus non fuerant audiendi?* (Mansi, Concil., t. VIII, p. 9, ad finem.) Igitur quod Euphemius Anastasium, ante abjuratam hæresim, in imperatorem agnoscere noluerit, cum Romani Pontificis assensu vel etiam mandato factum merito supponitur.

PROPOSITIO 6ª. — *Sæculo VI occurrunt facta Gallicano systemati adversantia.* — I. Sic decrevit concilium Alvernense anni 541, canone 9 : « Ne judæi christianis populis judices præponantur. » (Conciliorum Mansi t. VIII, p. 861.) Et in concilio Carthaginensi IV, tit. LXXXVII, cap. XVI, ita statuitur : « Ne catholici apud infideles causas proponant. » (Mansi, Appendix ad concilia sæculi sexti, t. VIII, col. 1218.) Potestas ecclesiastica, sic decernendo, in rem temporalem societatis civilis sibi jus aliquod procul dubio vindicavit.

II. Anno 511 et sequentibus, Orientis Catholici, cum sancto Macedonio Constantinopolitano episcopo, fas sibi existimarunt Anastasium, eo quod hæresim promoveret, throno dejicere, et alium imperatorem ei substituere. Id referunt Marcellinus Comes, Cedrenus, et Victor Tunonensis; quorum testimonia

sic adduxit cardinalis du Perron. (Harangue au tiers état, p. 20, édit. 1515) : *Les orthodoxes demandèrent Arcobindas pour empereur, et jetèrent les images et les statues d'Anastase par terre* (Marcellinus Comes, in Chronico). *Anastase ayant voulu ajouter à l'hymne de l'Église ces mots : « Qui as été crucifié pour nous, » il se fit une émotion populaire dedans Constantinople, les Constantinopolitains demandant un autre empereur... De quoi l'empereur épouvanté, intermit pour quelque temps son hérésie.* (Cedrenus, in Compend. hist. in Anast.). — *Le comte Vitalien, fils de Patriciolus, connaissant la subversion de la foi catholique, et la condamnation du concile de Chalcédoine, et les bannissements des évêques orthodoxes, et les substitutions des hérétiques, assembla une puissante armée, et se révolta contre l'empereur Anastase... s'étant campé aux portes de Constantinople, quelques demandes que l'empereur lui fît de la paix, ne la lui voulut jamais accorder, qu'à condition qu'il rappellerait les défenseurs du concile de Calcédoine qui avaient été jetés hors de leurs siéges, et réunirait toutes les Églises d'Orient avec la romaine.* (Victor, Tunonensis, in Africa Episcopus, qui obiit Constantinopoli anno 566.)

« Or, il faut considérer ici, dit Bianchi, que ces soulèvements du peuple contre l'empereur pour la défense de la religion non-seulement n'ont été blâmés par aucun écrivain de cette époque, comme si c'eût été des actes de félonie, mais ont été loués au contraire, par tous sans exception, comme autant de preuves de son zèle pour la foi et de sa piété. L'auteur de la *Défense* (Bossuet) a donc bien tort de s'en prévaloir contre le cardinal du Perron, qui arguait de ces faits pour prouver que dès lors on reconnaissait à l'Église la puissance indirecte sur l'autorité impériale, et de prétendre qu'il faudrait prouver que ces insurrections étaient commandées par l'Église ou par le pape, et que ce n'était pas assez, pour résoudre la question, qu'elles fussent faites par instinct populaire (*Defensio*, t. I, part. II, lib. VI — alias II — c. VII); car on peut

croire, d'après le récit d'Evagre et des autres auteurs cités, que le peuple était d'accord avec l'évêque Macédonius en cherchant à se soustraire au pouvoir de ce prince; puisque non-seulement il couvrait l'évêque de ses applaudissements, mais que, de plus, les principaux auteurs de ces mouvements étaient les clercs et les moines catholiques. » (Bianchi traduit par Peltier, *Traité de la puissance ecclés.*, t. II, p. 59, Paris 1857.) Nimirum illa catholicorum coalitio quæ ad repellendum e throno Galliæ Henricum IV, tunc adhuc hæreticum contigit, quæque sub nomine *la ligue* apud Gallos celeberrima remansit, jam Constantinopoli, sub initium sæculi sexti similiter contigerat. Jam tum scilicet, sibi fas putabant catholici imperatorem exauctorare, ne catholica religio subverteretur. Nec ignorabant priorum sæculorum martyres persecutoribus principibus vim non opposuisse; sed bene noverant ita peractum ex prudentia, ne scilicet, pro temporum illorum circumstantiis, resistentia plus detrimenti traheret quam utilitatis; non autem quod ad id sese ex conscientia obstrictos existimassent, si resistentia bene succedere potuisset.

Objicies cum Bossuetio. — Si romani pontifices, sæculo sexto, jus sibi tribuissent hæreticos principes deponendi, Anastasium imperatorem procul dubio deposuissent, cum adeo faverent circumstantiæ. Non tamen deposuerunt; sed licet hæreticum excommunicatum, persecutorem, et a populi sui factionibus dejectum, semper pro legitimo imperatore habuerunt, atque honore prosecuti sunt.

Respondeo. — Solebat Anastasius, cum in extremis versaretur, conversionem fingere et catholicis satisfacere. Unde ipse etiam populus Constantinopolitanus, et Vitalianus dux militum, qui eum abjecerant, ob ejusmodi obtentas ab ipso satisfactiones et promissiones, in gratiam eum receperunt et imperialem ei dignitatem reliquerunt. Qua attenta dicti imperatoris versutia, necnon adjunctis aliis, nunquam sedi apostolicæ prudens et opportunum videri debuit præfatum impera-

torem deponere. Quod fuse probatum vide apud Bianchi. (*Traité de la puissance ecclés.*, traduction Peltier, liv. IV, § 4, t. II, p. 38-68, Paris 1857.) Cæterum ex eo quod jus aliquod romano pontifici competat eique indubium sit, non sequitur eum necessario jure isto uti, etiam data opportunitate et quam maxima utilitate. Potest siquidem Romanus pontifex errare, imo et peccare, aliquid omittendo quod jure posset, vel etiam ex conscientia teneretur peragere. Futilis et absona prorsus hæc Bossuetii objectio. Huic quippe æquivalet: Si Pius Papa IX jus sibi tribueret episcopos deponendi, jam deposuisset talem Galliæ Antistitem, quem apprime novit depositione dignum : non deposuit; ergo nullatenus suam esse prærogativam existimat, episcopos ob certa crimina deponere. Possemus nos potiori jure sic arguere : Romani pontifices populo Constantinopolitano, sanctoque præsuli Macedonio, Vitalianove duci nullatenus crimini verterunt, quod Anastasium utpote religionis catholicæ eversorem abjicerent. Id porro eis ab apostolica sede exprobrari et injustum declarari procurasset Anastasius, si qua ei spes obtinendi affulsisset. Ergo licitam existimavit sedes apostolica dictam agendi rationem, id est, imperatorem, ex causa hæreseos, vi expellere ac throno dejicere; quod sane Bossuetiano systemati non quadrat.

Nota. — Hic adducenda foret S. Gregorii Magni agendi ratio. Sed de ea jam diximus (sect. III, c. II).

PROPOSITIO 7ª. — *Sæculo VII occurrunt facta Gallicano systemati adversantia.* — Renuerat Sergius papa synodum approbare quæ *Quinisexta* seu in *Trullo* dici solet; eo quod nempe nec per se nec per legatos suos huic concilio interfuisset. Quam tamen approbationem ut per vim extorqueret imperator Justinianus II, circa annum 690 rapi jussit pontificem et Constantinopolim deduci. Jussionem exequi tentavit militiæ præfectus, nomine Zacharias. Ast Ravennæ et adjacentium provinciarum milites obstiterunt, et Zachariam urbe Roma expulerunt. Bedæ verba id referentia sic Gallice citavit cardi-

nalis du Perron (Harangue au tiers état, p. 23, édit. Paris 1615) : *Justinien second, offensé de ce que Sergius, de bienheureuse mémoire, pontife de l'Église romaine, n'avait point voulu signer et favoriser le synode erroné qu'il avait fait tenir à Constantinople, envoya son connestable Zacharie, et lui commanda de prendre le pape et le transporter à Constantinople. Mais la milice de Ravenne et des provinces voisines résista aux impies commandements du prince, et repoussa ledit Zacharie avec opprobres et outrages de la ville de Rome.* Igitur Italiæ militia, non tantum impio pontificis raptui cooperationem denegavit, sed et per vim imperatoris commissarium expulit. Proinde sibi licitam existimavit *activam* quoque resistentiam; nec putavit lege Christi permissam dumtaxat *passivam*, ut vult Bossuetius; qui, omni prorsus in casu, et etiamsi rex subditis suis omnibus, recreationis causa, caput amputare tentaret, non licitum aliud contendit, quam Deum orare ac supplicium subire. Et notetur dictam militiam, non vituperia sed laudes a catholicis esse consecutam. Persuasum igitur tunc catholicis dari posse causam legitimam imperatoribus seu regibus per vim resistendi. An autem hic et nunc extet aliqua ejusmodi causa, ad ecclesiasticam sane auctoritatem decernere pertinet. Id autem decernendi potestas rem temporalem regum procul dubio attingit.

Propositio 8ª. — *Sæculo VIII occurrunt facta Gallicano systemati adversantia.* — I. Imperatori Philippico-Bardano, anno 712, obedientiam recusavit Romanus populus, eo quod hæreticam fidei professionem summo pontifici Constantino misisset. Id testatur Beda (De sex ætat. mundi), quem cardinalis du Perron (Harangue au tiers état, édit. Paris 1615, p. 24) citavit in hunc modum : *Philippicus envoya au pape Constantin des lettres de perverse doctrine, lesquelles le pape avec le concile du siége apostolique rejeta... Et le peuple romain ordonna que l'on ne reçût ni le nom, ni les édits, ni la monnaie marquée à l'image de l'empereur herétique.* Idem factum testatur Paulus

Diaconus. (De gestis Longobard., l. VI, cap. XXXIV.) Nec a summo pontifice, aliisve hujus ævi episcopis, aut catholicis scriptoribus, reprehensus fuit Romanus populus quod sic ab imperatoris auctoritate, ob causam hæreseos, sese subtraxisset.

II. Sanctus Gregorius papa II, anno 726, imperatoris Leonis Isaurici obedientiæ Romam Italiamque substraxit, eique tributa ab Italis in posterum solvi prohibuit. (Probatum habes supra, sectione III, cap. III.)

III. Sanctus Zacharias papa, anno 752, in rem temporalem regum sibi jus apertissime vindicavit. (Probatum habes supra, sect. III, cap. IV.)

IV. Et anno 754, Stephanus papa III (ibid., cap. V).

Propositio 9ª. — *Sæculo IX potestas ecclesiastica sibi jus vindicavit in rem temporalem societatum civilium.* — I. Hocce jus sibi vindicavit sanctus Leo papa III, imperium ab Oriente in Occidentem transferendo. (Quod vide probatum supra, sect. III, cap. VI.)

II. Anno 833 indubitatum in Galliis fuisse dictum jus Ecclesiæ manifestum fecit regis Ludovici depositio. De hoc facto sic habet jam pluries citata manuscripta dissertatio Gallica : « En rappelant cette odieuse déposition, hâtons-nous de déclarer que nous la regardons avec les auteurs contemporains comme un crime et un déplorable attentat, et comme la tentative d'une faction justement flétrie. Il n'y eut ni vérité dans la cause sur laquelle on appuya la sentence, ni forme juridique dans la procédure. Aussi les auteurs qui rappellent cet événement pour prouver le pouvoir indirect de l'Église sur le temporel des États, ne s'appuient nullement sur le fait même de la déposition, mais bien sur certaines circonstances qui l'accompagnèrent, et qui prouvent, comme nous allons le voir, la persuasion générale à cette époque sur le pouvoir en question. C'est donc à tort que Bossuet reproche avec tant de vivacité à ces auteurs (part. II, l. VI, c. II) de chercher dans cette

criminelle entreprise de quelques factieux un appui pour leur opinion. Commençons par rapporter brièvement les faits.

En 822, dans le concile d'Attigni, Louis le Débonnaire, poursuivi par les remords de sa conscience qui lui reprochait certains actes d'injustice et de cruauté, avait fait une sorte de pénitence publique et reçu l'absolution de ses péchés. Cette pénitence fut *volontaire* de sa part, et ce ne fut point la pénitence publique proprement dite, qui, d'après les canons, entraînait avec la déposition du baudrier, la renonciation perpétuelle à toutes les charges civiles et militaires. Elle est racontée en ces termes par l'auteur de sa vie : *Anno hunc sequenti imperator conventum generalem coire jussit in loco cujus vocabulum est Attiniacus. In quo convocatis ad concilium episcopis, abbatibus, spiritualibusque viris, necnon regni sui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari studuit quos invitos attonderi fecerat : deinde omnibus quibus aliquid læsuræ intulisse videbatur. Post hæc palam se errasse confessus, et imitatus Theodosii imperatoris exemplum, pœnitentiam* SPONTANEAM *suscepit, tam de his quam quæ in Bernardum nepotem proprium gesserat* (il avait fait crever les yeux à Bernard, qui était mort peu après). *Et corrigens si quid talium vel a se vel a patre suo gestum reperiri alicubi potuit, etiam plurimarum eleemosynarum largitione, sed et servorum Christi orationum instantia, necnon propria satisfactione, adeo divinitatem sibi placare curabat, quasi hæc quæ legaliter super unumquemque decurrerant, sua gesta fuerint crudelitate.* (Astronomus in vita Ludovici. Apud Coleti, t. IX, p. 626.) La pénitence que Louis le Débonnaire voulut alors faire spontanément et par dévotion consista, comme on voit, dans une confession publique de ses fautes, dans des aumônes, des prières et choses semblables. Mais il ne déposa point les armes ni les ornements impériaux, on ne lui coupa point les cheveux, on ne lui fit point l'imposition des mains, cérémonies réservées à la pénitence proprement dite qui en-

traînait un adieu éternel à la vie du siècle et une renonciation perpétuelle aux charges civiles et militaires.

La pénitence que tentèrent de lui imposer plus tard quelques évêques factieux fut au contraire la pénitence proprement dite, celle qui entraînait la déposition, et à laquelle on eut recours précisément à cause de cette conséquence qui en était inséparable. En voici l'occasion. Bernard, comte de Toulouse, passait pour avoir des relations criminelles avec Judith, seconde femme de Louis. Charles, fils de Judith, avait des traits de ressemblance avec Bernard, et cette ressemblance confirmait les soupçons. Lothaire, qui partageait déjà la couronne avec son père Louis, prenant prétexte de ce prétendu désordre de famille et de la négligence de son père à le corriger, attira dans son parti plusieurs évêques et une portion de l'armée, et fit enfermer Louis le Débonnaire dans le monastère de Saint-Médard, de Soissons. Mais cet excès était trop révoltant pour ne pas exciter l'indignation de la plupart des évêques et des grands du royaume. Lothaire et sa faction le comprirent; et pour donner le change à l'opinion, ils imaginèrent de soumettre le roi Louis à la pénitence publique proprement dite, c'est-à-dire avec la déposition irrévocable des armes. Comme la pénitence publique canoniquement imposée entraînait en effet la renonciation perpétuelle aux dignités du siècle, ils espéraient par cet expédient couvrir ce qu'il y avait d'abominable et d'odieux dans la déposition de ce prince : *Verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retro lapsa ferrentur quæ gesta erant, callido, ut sibi visum est, cum aliquibus episcoporum utuntur argumento : ut pro his de quibus jam pœnitudinem gesserat imperator* (dans le concile d'Attigny en 822), *iterum publica pœnitentia, armis depositis*, irrevocabiliter *quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur* (auctor vitæ Ludovici, apud Colcti, t. IX, p. 808). On se transporta donc au monastère de Saint-Médard, de Soissons, et là on dépouilla le prince de ses armes, on le revêtit de l'habit de pénitent et on

l'enferma. Ebbon et les autres prélats de la faction, réunis à Compiégne, dressèrent acte de tout ce qui s'était fait. Cette pièce curieuse, signée en commun, ainsi que la relation particulière d'Agobard, archevêque de Lyon, et les autres monuments relatifs à cette affaire, se trouvent dans la collection des conciles par Coleti, t. IX, page 802 et suivantes. Le concile de Compiègne a soin de dire que le prince subit le jugement ecclésiastique *à la manière des pénitents : ac deinde coram omni multitudine judicium sacerdotale more pœnitentis susciperet, quod et non multo post factum est.* Ils rapportent ainsi les principales particularités de la cérémonie: *Post hanc vero confessionem, chartulam suorum reatuum et confessionis ob futuram memoriam sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerunt : ac deinde cingulum militiæ deposuit, et super altare collocavit, et habitu sæculi se exuens, pœnitentis per impositionem manuum episcoporum suscepit.* Enfin ils ajoutent que ce genre de pénitence ne permettait pas de reprendre jamais les emplois militaires: *Ut post tantam talemque pœnitentiam nemo ultra ad militiam sæcularem redeat.*

Voilà le fait. Or ce fait prouve la persuasion générale où l'on était alors que l'Église peut soumettre à la pénitence publique les chrétiens quelconques, sans en excepter les rois, qui se sont rendus coupables de certains crimes, et que cette pénitence entraînait pour les souverains la privation irrévocable de leur dignité. En effet, si telle n'avait pas été la persuasion générale, ni Lothaire, ni les prélats factieux n'auraient songé à cet expédient. Leur but était de légitimer aux yeux de la nation la déposition de Louis, dont l'injustice révoltante ne pouvait manquer de soulever l'indignation. Mais en ajoutant à cette déposition celle qu'entraînait la pénitence publique, qu'auraient-ils fait, s'ils n'eussent compté sur la persuasion dont nous parlons? Ils auraient sciemment et de propos délibéré augmenté l'odieux qu'ils voulaient diminuer. Si l'on n'avait pas cru que les évêques pouvaient, par le moyen de la

pénitence publique justement imposée, priver le roi de sa dignité, ils devaient s'attendre, en recourant à ce moyen, qu'on les accuserait d'un crime de plus, en leur reprochant de s'être attribué un pouvoir qu'ils n'avaient pas.

Cette persuasion générale ressort non moins incontestablement de la manière dont fut combattu et réprouvé le concile de Compiègne. Qu'on lise les auteurs du temps qui s'accordent à flétrir, comme un affreux attentat, la tentative d'Ebbon et des autres évêques; qu'on lise ce qui fut allégué contre Ebbon lorsqu'on le déposa, et ce que Louis le Débonnaire fit valoir lui-même pour sa défense : y reproche-t-on aux évêques factieux le fait même de la déposition du prince au moyen de la pénitence publique? Nullement. Ce qu'on leur reproche, c'est d'avoir imposé cette peine sans cause suffisante et sans procédure canonique. Sans cause suffisante, puisque les crimes reprochés au roi avaient déjà été jugés et qu'il en avait reçu l'absolution au concile d'Attigny : *Cum tamen*, dit Éginard, *et leges forenses non contra unam culpam semel commissam bis invehant, et nostra lex habeat bis non judicari delictum* (in *Chronico* ad ann. 833). Sans procédure canonique, puisqu'on l'avait condamné absent, sans qu'il eût été entendu ni convaincu : *Damnatum absentem et inauditum, neque confitentem, neque convictum, ante corpus sancti Medardi confessoris arma deponere cogunt* (Astronomus in vita Ludovici). Si l'on eût pensé que l'Église n'a pas le pouvoir d'imposer aux rois la pénitence publique et de les priver ainsi de leur dignité, le premier reproche contre le concile de Compiègne aurait été de s'être attribué faussement ce pouvoir, et ce reproche serait en première ligne dans tous les monuments contemporains. C'est le principe même en vertu duquel les factieux avaient agi qu'on aurait attaqué. Et loin de là, ce principe est au contraire supposé tellement certain qu'on ne songe pas seulement à le mettre en question, et qu'on s'attache uniquement à montrer qu'il en a été

fait une application injuste et anticanonique au roi Louis.

Voici maintenant les deux objections de Bossuet : 1° Ce prince avait subi la pénitence publique au concile d'Attigny, et on n'avait pas songé pour cela à le regarder comme déposé, donc on ne croyait pas que la pénitence publique entraînât la déposition. — La réponse n'est pas difficile. La pénitence de Louis le Débonnaire à Attigny ne fut nullement la pénitence publique, proprement dite, mais un simple acte d'humiliation publique et spontanée. Il n'y fut point question de la déposition du baudrier et de l'imposition de l'habit de pénitent, cérémonies employées lorsque le pénitent était condamné à quitter le siècle et à renoncer jusqu'à la mort à toute charge civile et militaire. Dans la pénitence, au contraire, qui lui fut imposée par le concile de Compiègne, il fut expressément entendu et formulé après la déposition du baudrier, après l'imposition des mains des prêtres et la prise de l'habit propre des pénitents, que quiconque a été condamné à cette peine ne peut plus reprendre les dignités du siècle. Cet effet de la pénitence publique proprement dite, et telle que le concile de Compiègne l'imposait, est énoncé comme une maxime incontestable dans les actes même de ce concile. Or, loin de s'élever contre cette maxime, les auteurs qui combattent les évêques factieux ne leur en font pas le moindre reproche ; ils leur objectent seulement d'avoir frappé un innocent et de n'avoir point observé les procédures canoniques.

2° Bossuet objecte, en second lieu, que Louis le Débonnaire était déjà déposé lorsque les évêques du concile de Compiègne agirent contre lui; que, par conséquent, ils ne le traitèrent que comme un homme privé, et il en conclut que tout ce qu'ils firent est hors de la question. Ce raisonnement, que Bossuet présente avec confiance comme péremptoire, n'a absolument aucune valeur. Il paraît, en effet, que, depuis l'incarcération du roi Louis dans le monastère de Saint-Médard, Lothaire et

ceux de sa faction affectèrent de le traiter comme déposé. Mais c'est précisément parce qu'ils se doutèrent bien que la nation ne voudrait voir dans cette déposition qu'un fait criminel, et non un droit, qu'ils imaginèrent astucieusement, nous disent les auteurs du temps, de faire regarder la déchéance comme légitime au moyen de la pénitence publique. L'expédient de la pénitence publique fut donc uniquement mis en œuvre pour faire déchoir Louis de ses droits de prince. Aussi tous les auteurs de cette époque considèrent-ils le décret du concile de Compiègne comme un décret de déposition, et la scène déplorable qui eut lieu devant l'autel de Saint-Médard comme ayant eu pour but de priver le roi de ses droits au trône. Mais supposons, même contrairement à tout l'ensemble des monuments historiques, que le concile de Compiègne n'ait prétendu agir que contre un simple particulier. Bossuet n'y gagnera rien pour la question principale, qui est de savoir si l'Église a un pouvoir indirect sur le temporel des sociétés civiles; car il serait toujours vrai que le concile s'est attribué le droit de priver pour toujours de toute charge et de toute dignité séculière, au moyen de la pénitence publique, un membre de la société civile. Or, s'attribuer ce droit et agir en conséquence, c'est déjà exercer véritablement un pouvoir indirect sur le temporel des États. Ajoutez que les lois de l'Église sur la pénitence publique ne portent pas la moindre trace d'une exception en faveur des rois. A titre de chrétiens, ils sont, comme tous les autres fidèles, compris sous les lois communes de l'Église. Si le gouverneur d'une province, par cela seul qu'il est chrétien, se trouve soumis à la puissance ecclésiastique, en sorte que cette puissance puisse, en le réduisant à la condition de pénitent, le priver pour toujours de sa charge, il faut, pour être conséquent, avouer qu'elle pourra de même infliger la pénitence publique à un roi; attendu que le roi est tout autant sujet de l'Église en sa qualité de chrétien, et le priver de même indirectement de sa charge,

c'est-à-dire de la souveraineté. N'était-ce pas d'ailleurs un fait de notoriété publique pour les évêques de Compiègne, que Louis ne se regardait nullement lui-même et n'était nullement regardé par l'ensemble de la nation comme déchu du trône? En fait, ils ont donc agi et voulu agir contre un prince qui continuait à se prétendre légitime souverain et qui était considéré comme tel; et ce qu'on leur reprocha dans cette entreprise, ce n'est pas d'avoir manqué de pouvoir, mais d'en avoir usé injustement. De quelque manière que les partisans de l'opinion de Bossuet se retournent, ils se trouveront toujours en face de ce fait accablant : la persuasion générale de cette époque était que l'Église pouvait légitimement soumettre à la pénitence publique tout chrétien, roi ou autre, qui avait commis certains péchés graves, et le priver ainsi pour toujours de toute charge civile et militaire. Le fait de cette persuasion générale ressort de l'ensemble des monuments contemporains, sans laisser place au moindre doute. Il est permis aux gallicans d'entrer dans *la stupeur*, avec Jean Morin, à la vue de tels faits, mais non de les nier.

Propositio 10ª. — *Sæculo* x *Gregorius Papa V dictam potestatem sibi vindicavit, electores imperiales instituendo.* — Vide probatum supra, sect. III, cap. VII.

Propositio 11ª. — *Sæculo* XI *dictam potestatem sibi vindicavit sanctus Gregorius VII, et viginti duo post ipsum Romani Pontifices.* — Vide supra, sect. III, cap. VIII.

Propositio 12ª. — *Sæculo* XII *concilium œcumenicum Lateranense III, dictam potestatem sibi vindicavit.* — Vide probatum supra, sect. II, cap. I.

Propositio 13ª. — *Sæculo* XIII *Ecclesia sibi dictam potestatem vindicavit.* — I° Eam sibi vindicavit concilium œcumenicum Lateranense, sub Innocentio III, anno 1215. Quod vide probatum supra, sect. II, cap. II. — II° Item concilium œcumenicum Lugdunense anno 1245. Vide probatum ibid., cap. III. — III° Item Innocentius Papa III per decretalem *Novit.* De quo

facto sic legere est in quadam manuscripta dissertatione Gallica : « Jean, roi d'Angleterre, se trouvant pressé par les armes de Philippe Auguste, roi de France, recourut au Pape Innocent III, et lui exposa que son ennemi avait violé la trêve consentie avec serment, et lui faisait injustement la guerre. Innocent III envoya en France des légats chargés de commander aux deux princes, en vertu de l'autorité apostolique, de déposer les armes et de subvenir aux églises que la continuité des guerres avait réduites au dernier état de misère et de désolation. Les évêques de France furent péniblement affectés de cet acte du Saint-Siége, qui leur semblait ôter la victoire aux mains de leur roi, et préjudicier à sa juridiction temporelle. C'est alors qu'Innocent répondit à leurs plaintes par la fameuse décrétale *Novit* dont voici les passages importants : *Non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire. Sed cum Dominus dicat,* Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe inter te et ipsum solum :... si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos... : quod si non audierit, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et paganus; *et rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere quod rex Francorum peccat in ipsum, et ipse circa eum in correptione processit secundum regulam evangelicam, et tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ : Quomodo nos qui sumus ad regimen universalis Ecclesiæ suprema dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius? Nisi forsitan ipse coram nobis vel legato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat. Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, nisi forte juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum; sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus. Non igitur injuriosum sibi debet regia*

dignitas reputare, si super hoc apostolico judicio se committat... Numquid non poterimus de juramenti religione cognoscere, quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere, ut rupta pacis fœdera reformentur?... Ideoque universis vobis per apostolicam sedem mandamus, et in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus postquam idem abbas (le légat) *super hoc mandatum apostolicum fuerit executus, sententiam ejus, imo nostram verius, recipiatis humiliter, et faciatis ab aliis observari; pro certo scituri quod si secus egeritis, inobedientiam vestram graviter puniemus.*

Deux choses ressortent évidemment de cette décrétale : 1° qu'Innocent III reconnaît n'avoir pas de droit direct sur le temporel du roi de France, *non enim intendimus judicare de feudo. cujus judicium ad ipsum spectat;* 2° qu'à cause de son droit de prononcer sur la violation du serment, sur le péché, en un mot sur le spirituel, il prétend avoir aussi celui de faire déposer les armes au roi de France et de le soumettre, quant à son démêlé avec le roi d'Angleterre, au jugement du Saint-Siége. Ce Pape s'attribue donc le pouvoir sur le temporel, mais *accidentellement*, *incidenter*, *casualiter* comme disent des canonistes anciens, même français, qui ont commenté cette décrétale, mais *indirectement* comme ont dit les théologiens plus récents.

Que répond Bossuet? Les lecteurs qui ne l'ont point lu ne s'en douteraient probablement pas. Il répond que la décrétale *Novit* est en dehors de la question. Comment! un décret par lequel un Pape confirme et justifie l'ordre donné à des légats d'obliger le roi de France à déposer les armes et de lui commander *auctoritate apostolica* de subir le jugement pontifical sur son différend avec le roi d'Angleterre, un tel décret ne touche pas à la question du pouvoir papal sur le temporel des princes! Faire mettre bas les armes à un roi, n'est-ce pas toucher au temporel? Est-ce qu'Innocent III ne s'arroge pas ce droit, quoiqu'il n'y prétende que comme à une conséquence

de son droit sur le spirituel? Bossuet ne laisse pas d'appeler *vains* ceux qui parlent de cette décrétale : *Quæ quidem nihil ad hanc quæstionem pertinent, cum non agat Innocentius de regibus metu depositionis coercendis, quod unum quærimus; vanique omnino sunt* et a quæstionis *recedunt statu qui hæc objiciunt* (édit. Lebel, t. XXXI, p. 663). La question, c'est le premier de vos quatre articles qui refuse au Saint-Siége et à l'Église tout pouvoir, même indirect, sur le temporel. Or la décrétale *Novit* est un des mille monuments qui renversent cet article : elle touche donc à la question dont parlent les auteurs qui en appellent à cette décrétale. Que le lecteur juge si l'injure de Bossuet *omnino vani* est conforme à la justice; nous n'ajouterons pas, et à la modération : elle est constamment oubliée dans le livre de *la Défense;* ce qui n'a pas empêché les partisans de ce livre de le louer constamment à ce point de vue, et d'appeler violents, exagérés et injurieux, les ouvrages des cardinaux et autres qui l'ont réfuté, et qui ne méritent pas ces reproches.

Propositio 14ª — *Sæculo* XV *dictam potestatem sibi vindicavit concilium Constantiense.* — Vide supra, sect. II, cap. IV.

Propositio 15ª. — *Sæculo* XVI *dictam potestatem sibi vindicavit concilium Tridentinum.* — Vide supra, sect. II, cap. V.

CAPUT II

CONSTANS PRAXIS QUA AUCTORITAS ECCLESIASTICA SIBI POTESTATEM VINDICAVIT IN REM TEMPORALEM SOCIETATUM CIVILIUM, PROBAT EJUSMODI POTESTATEM IPSI REVERA JURE DIVINO COMPETERE

Propositio 1ª. — *Universalis Ecclesia errare non potest in his quæ ad fidem et mores pertinent.* — Errando in fide, fieret hæretica; et errando in moribus fieret satanica. Utroque modo desineret esse Ecclesia Christi, et portæ inferi adversus eam

prævalerent. Porro promisit Christus Ecclesiam suam usque ad finem mundi permansuram, et semper fore infernalis potestatis victricem.

Propositio 2ª. — *Si Ecclesia indebite sibi per praxim suam vindicaret aliquam potestatem, quatenus jure divino sibi competentem, erraret circa fidem et mores.* — Dum enim talem potestatem per praxim, id est, eam exercendo, sibi vindicat, perinde est ac si expresse simul declararet, jus istud sibi competere. Id enim non potest magis aperte profiteri, quam per ejusmodi publicam praxim. Igitur si hoc falsum foret, erraret quoad istam veritatem: *Talis potestas jure divino Ecclesiæ non competit;* quæ veritas dogmatica est. Simul autem erraret contra mores, legitimum supponendo et æquivalenter declarando actum suum, qui tamen injustus foret et illicitus.

Propositio 3ª. — *Ergo praxis de qua disserimus probat jus.* — Nam 1° est praxis universalis Ecclesiæ; siquidem, prout superiori capite factis ex unoquoque sæculo deductis ostendimus, dictam potestatem sibi vindicavit suprema Ecclesiæ auctoritas, id est, Romani Pontifices et concilia œcumenica. Et quando Episcopus aliquis, aliquodve concilium particulare jus istud in rem temporalem societatum civilium sibi pariter vindicarunt, non increpavit, sed assensit suprema totius Ecclesiæ auctoritas. Ergo revera dicta praxis ipsimet universali Ecclesiæ tribuenda est. 2° Ejusmodi potestatem in temporalia sibi vindicavit Ecclesia, quatenus jure divino sibi competentem, prout ex ipsismet factis et documentis luce meridiana clarius constat. Qui autem effutiunt ex concessione dumtaxat principum, non autem jure divino, dictam potestatem Ecclesiæ obtigisse, ego non intelligo quomodo bona fide sic loqui valeant, si documenta vel tantisper volverint. Cæterum assertum istud Bossuetii, quod nostra ætate tam infauste recantavit Sulpitianus Gosselin, supra jam confutavimus. Ergo plenam vim habet argumentum ex Ecclesiæ praxi deductum.

SECTIO V

CONFUTANTUR BOSSUETII ARGUMENTA E TRADITIONE DIVINOQUE TEXTU DEPROMPTA

In propugnando suo systemate, provocavit potissimum Bossuetius ad priorum sæculorum traditionem, itemque ad nonnullos sacræ Scripturæ textus. Inanem utrumque conatum paucis demonstremus.

CAPUT I

NON VALENT BOSSUETII ARGUMENTA E TRADITIONE DEPROMPTA

I. Textus Tertulliani a Bossuetio allegati. — *Colimus ergo et imperatorem sic quomodo et nobis licet et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quidquid est, a Deo consecutum, et solo Deo minorem.* (Ad scapulam, cap. II, — édit. de Rouen 1662, page 130.)

Nos enim pro salute imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem et ipsi imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium, sciunt qua homines quis et animam : sentiunt eum Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes Deos. (Apolog. adversus gentes, cap. XXX, — loco citato, pag. 62.)

Ratiocinium e duobus his textibus a Bossuetio deductum sic contrahi potest : imperatores, non tantum ex ipsorum persuasione, sed etiam ex Ecclesiæ judicio, sunt *primi post Deum.* Ergo non subsunt Romano pontifici. Ergo nequeunt ab ipso exauctorari. *Vides* (sunt verba Bossuetii) *quid sentiant ipsi imperatores, plaudente Ecclesia; nempe se in solius Dei potestate esse...; non igitur ab aliquo per Deum constituto pontifice deponendos.* (Édit. Lebel, 1817, tomo XXXI, p. 371.)

Respondetur. — 1° Erravit ibi Bossuet, Tertulliani placitum exhibendo tanquam ipsiusmet Ecclesiæ judicium. Nam ex eo quod Tertullianus imperialem potestatem hoc vel illo modo intellexerit, nullatenus sequitur idipsum Ecclesiam docuisse aut persuasum habuisse. Alioquin Ecclesiæ adscribendi erunt multiplices Tertulliani errores; quorum præcipuos, id est, unum supra triginta, recensuit Pamelius. (Initio editionis suæ, Rothomagi 1662.) Apertissime, verbi gratia, erravit Tertullianus, cum illicita christianis pronuntiavit quælibet civilia militariave munera, etsi nec idololatriæ nec injustitiæ periculo ullatenus obnoxia. *At nunc* (ait) *de isto queritur an fidelis ad militiam converti possit, et an militia ad fidem admitti etiam caligata vel inferior quæque, cum non sit necessitas immolationum vel capitalium judiciorum? Non convenit sacramento divino et humano, signo Christi et diaboli... Non potest una anima duobus deberi, Deo et Cæsari.* (De idololatria, cap. XIX, — edit. Rothomagi, 1662, p. 245.) Item existimavit Tertullianus idololatriæ reum fore christianum qui regiam dignitatem acceptaret; idque arguit ex eo quod Christus se regem proclamari non sit passus. Item negavit licitam esse in persecutione fugam. (Tertulliani paradoxa, n. 20 — in editione Pamelii 1662, p. 51.) Igitur citata Tertulliani dicta, quocumque sensu intelligenda sint, non certo exhibent christianorum hujus ævi aut Ecclesiæ doctrinam et persuasionem.

2° Allegati textus non contradicunt doctrinæ de pontificia potestate in rem temporalem statuum. Tota nempe difficultas

in eo stat, quod Tertullianus imperatorem asseruerit *primum post Deum*. Intelligendum autem est, fatente Bossuetio, *quoad civilem seu temporalem potestatem*, non quoad spiritualem seu ecclesiasticam. Porro, admissa Romani pontificis *indirecta* potestate reges coercendi et ex justa causa deponendi, verum remanet imperatorem quoad temporale regimen esse *primum post Deum*. Nam Ecclesia depositionis sententiam pronuntiando seu imperatorem deponendo, non quatenus temporalis, sed quatenus *spiritualis* superior id sibi vindicat. Nec ideo se profitetur a Christo institutam ut rem temporalem societatis civilis administret, sed ut fideles ad æternam beatitudinem traducat. At necesse est ut spiritualis hæc ejus missio et potestas removere possit obstacula quæ fini sibi proprio obstarent. Igitur obstantem fini Ecclesiæ imperatorem deponendo, exercet papa spiritualem et ecclesiasticam potestatem. Proinde verum remanet imperatorem esse *primum post Deum* quoad temporale regimen. Quia nempe, licet subsit papæ, non tamen quatenus temporali, sed quatenus spirituali pastori. Seu, quod idem est, inter Deum et imperatorem non est ulla intermedia *potestas temporalis*, licet intermedia sit spiritualis Ecclesiæ potestas. Hanc interpretationem rejicit Bossuet: *Nobis enim non placet*, inquit, *verbis ludere. Plane negamus eam potestatem supremam atque a Deo secundam vere ac serio dici, quæ ab altera quocumque nomine sive directe sive indirecte deponi et in ordinem adigi possit* (edit. Lebel, t. XXXI, p. 375). Quod dicta interpretatio sit *lusus verborum* debuisset Bossuetius vel non asserere, vel probare. Item istud suum *plane negamus* debuisset rationibus legitimum ostendere. At nullæ probationes, rationes nullæ. Immo nec etiam sententia quæ papæ tribuit *directam* in temporalia potestatem, erronea probatur per objectos Tertulliani textus. Equidem illius sententiæ patroni supremam etiam temporalem in toto mundo potestatem papæ adscribunt; ita ut, quemadmodum fuit Christus rex regum et dominus dominantium, ita et ejus in terris vicarius. Simul autem te-

nent, hocce temporale societatum civilium regimen, quoad *immediatam executionem*, ex institutione Christi, Romano pontifici ordinarie non incumbere. Voluit nempe Christus a suo in terris vicario ejusmodi executionem immediatam regibus aliisque principibus relinqui. Unde imperator est revera *primus post Deum* quoad *immediatam* temporalis regiminis *executionem*, licet primus non sit quoad ipsammet temporalem potestatem. Et ita objectos Tertulliani textus interpretantur hujus sententiæ patroni.

II. Sancti Ambrosii, Cassiodori, sancti Gregorii Turonensis et sancti Isidori Hispalensis textus a Bossuetio allegati.

Textus sancti Ambrosii: *Sequitur*, Tibi soli peccavi. *Rex utique erat* (David); *nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges a vinculis delictorum; neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti sub imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* (Prima apologia David, cap. x, — edit. Maureti, Parisiis 1686, t. I, p. 692.)

Textus Cassiodori : Tibi soli peccavi... *De populo si quis erraverit, et Deo peccat et regi. Nam quando rex delinquit, soli Deo reus est, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Merito ergo rex Deo tantum se dicit peccasse, quia solus erat qui ejus potuisset admissa discutere.* (Expositio in psalm. 50, — edit. Benedictinorum, Rothomagi 1679, t. II, page 170.)

Textus sancti Gregorii Turonensis : *Si quis de nobis, o rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest : si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis : si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse justitiam?... Sed quid plura? habes legem et canones : hæc te diligenter rimari oportet; et tunc quæ præceperint si non observaveris, noveris tibi judicium Dei imminere.* (Historia Francorum, l. V, cap. xix, edit. Mauritanorum, Parisiis 1699, p. 224.)

Textus sancti Isidori Hispalensis : *Difficile est principem regredi ad melius si vitiis fuerit implicatus. Populi enim peccantes*

judicem metuunt, et a malo suo legibus coercentur. Reges autem, nisi solo Dei timore metuque gehennæ coerceantur, libere in præceps prorunnt, et per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur. (Liber tertius Sententiarum, cap. L, n° 4.) *Reges vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant vel subvertunt : ideoque principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia. Nam rex qui ruit in vitiis, cito viam ostendit erroris; sicut legitur de Jeroboam, qui peccavit et peccare fecit Israel. Illi namque ascribitur quidquid exemplo ejus a subditis perpetratur.* (Ibid., n° 6, — sancti Isidori Opera, edit. cardinalis Lorenzana, Romæ 1802, t. VI, p. 342 [1].)

Perperam contendit Bossuet per citatos textus excludi quamlibet Ecclesiæ potestatem in rem temporalem statuum. Etenim,

1° Hæc et similia Patrum dicta reduci possunt ad hanc propositionem : *Non est super terram potestas quæ principes, si delinquant, castigando, a peccatis deterreat.* Conferunt nempe reges cum ipsorum subditis, quoad peccandi facilitatem. Subditi delinquentes, per tribunalia, per leges, per regem coercentur. Reges autem in vitia et scelera ruentes coercet nullus. Id solum asserunt citati Patres. Porro,

2° Hoc verum remanet *ordinarie*, licet Ecclesiæ competat reges ex justa causa deponendi potestas. Nam quod reges per supremam Ecclesiæ auctoritatem deponi expediat, contingit rarissime. Et quod eos deponere opportunum sit ob alia quam

[1] Advertat lector duos illos Isidori textus aliter a Bossuetio citari. Postquam nempe transcripsit numerum 4, statim ad numerum 6 transit, nullatenus præmonito lectore; solamque hanc phrasim ex isto numero 6 adducit : *ideoque Principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia.* Prætermissum aliquid eo difficilius suspicari potest lector, quod pro *ideoque* positum sit *ideo.* Insuper in editione Luxemburgi non indicatum est quo loco in Isidori Operibus citatio repeririretur. An forte ne lector locum adeundo, offenderet in istud Isidori effatum, *sub religionis disciplina sæculi potestates subjectæ sunt,* quod occurrit capitis sequentis numero 3, et quo Bossuetianum systema sat aperte subvertitur?

hæreseos aut apostasiæ peccata, contingit fere nunquam. Locuti sunt autem citati patres de ordinarie contingentibus; in quo sensu vere dici potest : *Reges in vitia et peccata ruentes a nullo coercentur.* Nec erat cur mentionem facerent de exceptionali ac rarissimo casu quo Ecclesia justum et opportunum judicet in regem aliquem depositionis sententiam pronuntiare; cum in praxi et ordinarie reges ob vitia et flagitia sua metuendam depositionis pœnam non habeant.

3° Fatetur ipse Bossuet per citata Patrum dicta non excludi Ecclesiæ potestatem reges coercendi per excommunicationem aliasque pœnas spirituales, quamvis Patres de illa potestate ibi non loquantur. Dicimus nos nec excludi potestatem reges pœnis etiam temporalibus ac depositione coercendi, licet de ea mentionem non faciant.

III. Textus sancti Gelasii a Bossuetio allegatus, et in prima editione falsificatus. — In prima editione *Defensionis* (Luxemburgi 1730) hoc modo citatur Gelasii textus : *Duo sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, sacerdotalis autoritas et regalis potestas,* UTRAQUE PRINCIPALIS, SUPREMA UTRAQUE, NEQUE IN OFFICIO SUO ALTERI OBNOXIA EST. Subdit : *Nosti enim, clementissime fili, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis... atque ab eis causas tuæ salutis expetis; inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse : nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem spectat publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, quo, rogo, te decet affectu eis obedire qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?...* (T. I, pag. 166.)

Consistit falsificatio in additis textui hisce vocibus : *utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est.* Sunt hæc, non Gelasii, sed Bossuetii verba. Quam tamen

falsificationem Bossuetio non tribuemus, quia ex errore contingere potuit, commata[1], quæ post verbum *potestas* poni debuerunt, post verba *obnoxia est* collocata fuisse. Minus forsan indulgendum quod suppresserit Bossuet phrasim istam quæ verbum *potestas* in textu subsequebatur: *in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus, Domino in divino reddituri sunt examine rationem.* « Ces dernières paroles, ait Bianchi, n'ont pas été supprimées sans dessein par Bossuet, qui voyait bien que cette obligation imposée aux pontifes de rendre compte à Dieu de la conduite des souverains eux-mêmes était écrasante pour l'opinion qu'il soutenait, et qu'ainsi il n'avait rien de mieux à faire que de les ensevelir dans le silence. » (*Traité de la puissance eccl.*, traduction de Peltier, t. I, pag. 611, Paris 1857.)

Post Gelasium, citat Bossuetius nonnulla Symmachi papæ verba ad eumdem imperatorem Anastasium scripta. (Quæ vide apud Bianchi, loco cit., p. 613.) Et similia citare potuisset, tum ex Osio Cordubensi ad imperatorem Constantium, tum ex sancto Ambrosio ad Valentinianum. (Vide textûs apud Bianchi, ibid., p. 612 et 613.)

Respondetur. — Ex ejusmodi textibus recte quidem colligitur *distinctas* esse regalem et ecclesiasticam potestatem. At nullatenus evincit hæc Patrum doctrina regalem non subordinari ecclesiasticæ. Hanc e contra subordinationem docent Patres, dum (ut mox videbimus) utuntur exemplo corporis et animæ, dicuntque regalem potestatem corporis, ecclesiasticam vero animæ vices agere. Igitur docent quidem Patres ambarum potestatum *distinctionem*, at non negant, immo aperte simul docent *subordinationem*. Ad istud responsum sic oratorie Bossuetius: « Quis non videat, quam hæc a Christo incassum distincta sint, si, qui ab eo est spiritualibus rebus summo jure præpositus, is non modo, ut diximus, maxima reipublicæ imperiorumque negotia, verum etiam temporalia

[1] Nempe signum illud quod gallice vocamus *guillemets*.

omnia toto orbe terrarum ad suam potestatem utcumque revocare cogitur? » (*Defensio*, part. II, lib. V, — alias lib. I, sect. II, cap. XXXIV.)

Respondemus : Quis, præter Bossuetium, non videat, non tantum stare posse distinctionem cum subordinatione, sed non potuisse a Christo distinctas institui, quin regalem vellet esse medium quoad alteram, id est ecclesiasticæ subjectam, quantum requirit finis Ecclesiæ proprius, animarum æterna salus? Sed de hoc sequenti sectione. Interim notetur quanam arte conetur Bossuet communi doctorum sententiæ invidiam creare. Supponit enim, in hac sententia, debere Romanum pontificem *temporalia omnia toto orbe terrarum ad se revocare.* Id prorsus falsum. Enimvero in dicta communi sententia, non tenetur, imo nec debet summus pontifex in temporalibus intervenire, nisi quando et in quantum finem Ecclesiæ proprium impedirent.

Scissitabitur forsan quis, num saltem per Gelasianam et aliorum Patrum de *distinctis* ambabus potestatibus doctrinam, excludatur opinio de *directa* Romani pontificis in rem temporalem statuum auctoritate. Equidem in hac opinione, suo in terris vicario contulisset Christus *supremam* in temporalibus simul et spiritualibus auctoritatem. At simul instituisset temporalis potestatis *immediatam executionem* non fore penes papam, sed penes imperatores aliosve principes. Unde ad prædictos textus respondent hujus sententiæ patroni : esse vere distinctas ambas potestates, sed solummodo ratione *immediatæ executionis*, quæ jure ordinario pertinet ad Cæsarem. Quæ quidem responsio, prout et ipsa de *directa* potestate opinio, nequaquam mihi videtur gravitate carere.

IV. *Nedum Bossuetiano systemati faveat antiquorum Patrum traditio, ejus e contra falsitatem arguit.* — Sanctus Gregorius Nazianzenus, de utraque potestate disserens, asseruit : *Quantum a spiritu corpus, tantum a sacerdotio imperium superari* (oratione 17 ad cives Nazianzenos). — Sanctus Isidorus Pelusia-

nus, Joannis Chrysostomi discipulus, idem docuit his verbis : *Et sacerdotio et regno rerum administratio consurgit. Quamvis enim permagna sit utriusque differentia, illud veluti anima est, illud veluti corpus; ad unum tamen et eumdem finem tendunt* (lib. III, epist. 249). — Quam doctrinalem traditionem continuans sanctus Ivo Carnotensis : *Sicut sensus animalis*, inquit, *subditus esse debet rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini ; et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur et regatur ab ecclesiastica disciplina.* (Epist. ad Henricum regem Angliæ.) — Nec minus expresse Hugo a Sancto Victore : *Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena, et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam sive sæcularem potestatem honore ac dignitate præcedit : nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet ut sit, et judicare si bona non fuerit.* (Hugo Victorinus, l. II, *de Sacramentis*, parte II, cap. IV.)

A sancto Thoma et aliis scholæ doctoribus continuata unanimiter fuit traditio hæc, prout videre est supra, sectione prima.

Ad frequentem illam apud Patres similitudinem, *quod nempe sicut animæ corpus, ita temporalis potestas spirituali subsit*, quid Bossuetius? Mire torquetur, et miræ inanitatis effugia excogitat. *Primo* quidem asserit dictam similitudinem, prout a scholæ doctoribus intelligitur, ducere *ad immane præcipitium*. (*Defensio*, t. I, parte II, lib. V. — Alias I, sect. II, c. XXXV.) Quod ut probet scholæ doctoribus affingit ridiculum istud ratiocinium : « Pergunt : atqui spiritus, si necesse sit, carnem quoque adigit ad interitum. Quid tum postea? ergo ecclesiastica potestas adigere ad interitum potest civilem potestatem; decernere potest scilicet ut civilis potestas tollatur e medio, sepeliatur, computrescat. » (*Defensio*, loco citato.) « Mais qui jamais, inquit Bianchi, soit parmi es scolastiques, soit parmi tant d'autres illustres docteurs,

qui avant même qu'il y eut des scholastiques, ont fait usage de cette comparaison pour expliquer le rapport des deux puissances, a dit... que l'âme peut détruire le corps, attendu qu'elle est, au contraire, tenue par devoir naturel de le conserver? Assurément personne n'a jamais dit cela. L'âme ne peut donc pas détruire le corps, et par la même raison la puissance spirituelle ne peut pas détruire la puissance temporelle. Mais, de même que l'âme peut réduire les sens en servitude quand ceux-ci se révoltent contre la raison, et cependant conserver dans sa pleine vigueur le corps, dont les sens sont les ministres, ainsi la puissance spirituelle peut ôter l'empire au prince qui se révolte contre Dieu, contre la religion, contre l'Église, sans porter aucune atteinte à la puissance temporelle, dont elle ne fait alors qu'ôter l'administration à ce mauvais prince. » (*Traité de la puissance ecclés.*, traduction de l'abbé Peltier, t. I, p. 625, édit. Paris, 1857.)

Secundo, edocet Bossuetius *quousque protendi comparatio valeat*. Asserit nempe : *In ordine morum a vera religione pendere civitatem; at civilem potestatem, quod ad rationem attinet humanæ societatis, per se, ac tota sua vi, sine vera religione, sine vera Ecclesia, sine vero sacerdotio stare posse.* (*Defensio*, loco cit.) Si temporalis societas *moralitatem* habere nequeat absque *vera religione*, et tamen existere possit sine *vera religione*, sequitur illam stare posse *absque moralitate*. Bayle huc usque non processit. Possibilem admisit societatem atheorum, non tamen *sine moralitate*. Hæc igitur est similitudinis a Patribus adhibitæ Bossuetiana interpretatio : dum dicunt Patres, sicut corpus ab anima, ita sæcularem potestatem ab ecclesiastica esse regendam, intelligendi sunt quasi dixissent, sæcularem potestatem esse omnino independentem ab ecclesiastica. An seria, an potius desperata responsio? Quidquid sit, confutatione sane non indiget.

V. *Absonum est argumentum Bossuetii ex negativa traditione; id est ex eo quod primis Ecclesiæ sæculis nullus Romanus Pon-*

tifex imperatores regesve deposuerit. — Ejusmodi argumentum sic quoad substantiam exhiberi potest :

1° Si jus in rem temporalem societatum civilium Ecclesiæ suæ Christus conferre voluisset, providisset id clare in Scripturis exprimi; atqui hocce jus nullibi in sacris Scripturis expressum reperitur; ergo.

Respondeo. — Jus istud sufficienter exprimunt textus evangelici de collata Ecclesiæ ligandi atque solvendi potestate. Nec obstat quod Christus dixerit : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Nam ex eo quod quis sit agnus, id est, innocens et impar viribus, non sequitur ipsi competere non posse jus in lupos, id est, in eos a quibus injuste opprimitur. Præterea his verbis significavit quidem Christus apostolos a lupis, id est, ab imperatoribus et regibus paganis, eorumque ministris persecutionem passuros; at non idem prædixit quoad omnes, usque ad finem mundi, apostolorum successores. Nam oriturum prævidebat tempus, quo reges et imperatores lupi esse desinerent, et facti christiani, brachii sui auxilium Ecclesiæ, ex officio suo, præstandum agnoscerent.

2° Primis sæculis, Ecclesia nullum jus in rem temporalem statuum exercuit nullum regem imperatoremve deposuit, etsi sufficientibus ad id viribus, Tertulliano teste, non caruerit. Atqui contrarium contigisset, si prætensam illam in temporalia potestatem a Christo recepisset. Ergo nequaquam ei Christus contulit potestatem ejusmodi.

Respondeo. — 1° Dicit quidem Tertullianus (Apol. c. xxxvii) : « Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? » At nimium fuisse hac in re Tertullianum contendunt eruditi multi, tum catholici, tum etiam e protestantium secta. De quo vide Bianchi (*Traité de la puissance ecclés.*, traduction de l'abbé Peltier, tom. I,

pag. 639, Paris, 1857). 2° Demus tamen non impares fuisse tunc temporis christianos ad debellandos et dejiciendos paganos imperatores. Id aggredi non debuerunt nisi prius declarata per legitimam auctoritatem ecclesiasticam liceitate. Ac proinde nisi prius eadem legitima auctoritas declarasset insurrectionem in Ecclesiæ detrimentum non cessuram. Facile autem intelligitur Romanos Pontifices, hisce persecutionum sæculis, non tantum potuisse, sed et prudenter debuisse a tali declaratione abstinere. « Quand même donc, ait Bianchi, on admettrait que les chrétiens de cette époque avaient des magistrats et des chefs de leur communion tant civils que militaires, il ne leur aurait pas été pour cela permis de résister à leurs souverains infidèles, puisque pas même des magistrats subalternes ne peuvent opposer la résistance aux mauvais traitements qu'ils auraient à essuyer de leur souverain et se dispenser de leur être soumis, comme l'ont cru faussement Pierre Martyr, Paré... et d'autres protestants. Les évêques des siéges particuliers ne pouvaient pas non plus faire ces sortes de déclarations... Comme il s'agissait du souverain de tant de peuples soumis à l'empire de Rome, il eût fallu sans doute toute l'autorité du Pontife romain ayant avec lui un grand nombre d'évêques, de manière qu'une telle décision fût le résultat d'une délibération commune et qu'elle pût être connue de toute l'Église. Mais comment, dans le cours des trois premiers siècles, les Pontifes romains, qui erraient d'une demeure à une autre, ou vivaient cachés dans les catacombes, auraient-ils pu convoquer les évêques pour prendre leur avis et arrêter une décision sur une affaire d'une aussi grande importance? Car nous ne disons plus un évêque particulier, mais le Pape lui-même ne pouvait pas juger de prime abord s'il était expédient ou non d'en venir à ce remède extrême, sans avoir auparavant averti les princes eux-mêmes, sans les avoir exhortés, sans les avoir cités à son tribunal et les avoir entendus. Or si l'on croyait que les Papes auraient

pu faire toutes ces choses dans les premiers siècles de l'ère chrétienne, on se montrerait tout à fait ignorant en fait d'histoire ecclésiastique. » (Bianchi, *Traité de la puissance ecclés.*, t. I, p. 643, traduction de l'abbé Peltier.) — 3° Etiamsi numero et viribus prævalere potuissent christiani (quod falsum est); et etiamsi unusquisque Romanus Pontifex, solus absque ulla synodo, dictæ insurrectionis felicem exitum prudenter sperare potuisset (quod pariter falsum est); adhuc tamen ipsis opportunum videri potuit jus suum hoc tempore non exercere, ne diceretur humanis mediis initio impositam christianam fidem. Quæ persuasio potuit etiam a Spiritu sancto ipsis ingeri. Igitur prorsus absonum est istud Bossuetii argumentum : primis Ecclesiæ sæculis Romani Pontifices dictum jus paganos imperatores exauctorandi, et eorum subditos ab obedientiæ debito solvendi non exercuerunt; ergo arbitrati sunt ejusmodi jus sibi nequaquam competere. — 4° Sane non negat Bossuet jus Ecclesiæ competere principes hæreticos excommunicandi. Et tamen nullam Romani Pontifices excommunicationem pronuntiarunt contra Constantem et Valentem, qui tam ferociter Nicænam fidem persecuti sunt, et arianam hæresim promoverunt. Ergo pariter, ex eo quod jus in rem temporalem contra ethnicos imperatores non exercuerint, non sequitur eos hoc jure caruisse. — 5° Ut suum ex traditione negativa argumentum fulciat, asserit Bossuetius nullibi scriptum reperiri, ab ecclesiastica potestate alicui vel minimo civi aut ereptum servum fuisse aut eripi potuisse. (*Defensio*, t. I, parte II, l. V. — Alias I, sect. II, c. XVII.) Quam falsa sit assertio hæc, colligat lector ex paucis hisce documentis : « Si quis christianorum necessitate cogente sua mancipia elegerit venumdanda, non aliis, nisi tantum christianis expendat. Nam si paganis aut judæis vendiderit, communione privetur, et emptio careat firmitate » (conc. Remense, can. 11, anno 630, aut, ut alii censent, 625). — Anno 653, a concilio Cabillonensi, canone 11, prohibitum est ne quis extra regnum mancipia

sua venderet; ne scilicet in manus infidelium caderent. — Decreverunt plura Galliæ ac Hispaniæ concilia, judæos omni jure in servos suos ipso facto spoliatos fore, si eos judaizare coegissent. Nec dicatur id decretum vi legum Romanorum, quæ prohibuerant ne judæi christianos servos habere possent. Nam tunc temporis dictæ leges in Galliis et in Hispania vim non habebant; imo nec forsan noscebantur. — Concilium Aurelianense IV sic habet : « Cum prioribus canonibus fuerit definitum ut de mancipiis christianis, quæ apud judæos sunt, si ad Ecclesiam confugerint et redimi se postulaverint... et servire judæis noluerint, taxato et oblato a fidelibus justo pretio, ab eorum dominio liberentur. » — In concilio Toletano III, cap. XIV : « Si qui vero christiani (servi) ab eis judaico ritu sunt maculati, vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem et christianam religionem redeant. » — In concilio Matisconensi, anno circiter 581 : « Judæi vero si christiana mancipia ad judaismum vocare præsumpserint, ipsa mancipia fisci ditionibus revocentur. » — In concilio Toletano IV, can. 59, quoad apostatas, qui conversi a judaismo et accepto baptismo ad judaismum redierant, sic decernitur : « Eos autem quos circumciderint, si filii eorum sunt, a parentum consortio separentur; si servi, pro injuria corporis sui, libertati reddantur. »

Nota. — Cætera, quibus suum e negativa traditione argumentum fulcit Bossuetius, confutata vide apud Bianchi (*Traité de la puissance ecclés.*, traduction Peltier, tome I, livre III, § 9, 10 et 11, pag. 644 et suiv., Paris, 1857). Ad hocce negativæ traditionis argumentum jamdudum responderat S. Thomas : « Ad primum dicendum, quod illo tempore Ecclesia in sua novitate non habebat potestatem terrenos principes compescendi, et ideo toleravit fideles Juliano Apostatæ obedire in his quæ non erant contra fidem, ut majus fidei periculum vitaretur. » (IIª IIæ, q. XII, art. 2.)

CAPUT II

NON VALENT BOSSUETII ARGUMENTA E SACRO TEXTU DEPROMPTA.

I. *Textus sancti Matthæi a Bossuetio allegatus.* — *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (Matth., xxn). — Ex his verbis sic argumentatur Bossuet : « Multi enim e Judæis putabant Romani imperii ac Romanorum Cæsarum, utpote infidelium, iniquam, violentam, tyrannicam atque omnino nullam in populum Dei potestatem esse : quorum turbulentos spiritus magister optimus hac sententia compressit. Cum enim id agerent inquieti homines ut religionis specie legitima imperia commoverent, id e contra Christus docuit nihil ad vim ipsam religionis pertinere quis imperet, atque omnino religione relinqui imperia eo loco quo sunt gentium ac populorum juribus constituta. Hoc autem perfecit ostenso numismate, atque imagine Cæsaris; ut quoniam respublica ac civilis societas stat commerciis ac permutationibus, quarum instrumentum est nummus seu publica pecunia, ideo omnes intelligerent in ejus potestate necessario permanendum cujus numismatis uterentur. Quod profecto non sic præcise et absolute diceret, si intelligeret pontificum ac synagogæ auctoritate legitima imperia solvi posse, aut talem potestatem suis, suæque Ecclesiæ ipse aliquando esset concessurus. » Concludit Bossuet principibus paganis et hæreticis quantumvis persecutoribus, « obtemperandum in omnibus quæ divinis præceptis non repugnarent » (édit. Lebel, 1817, t. XXXI, p. 321).

Respondetur. — 1° Falso supponit Bossuet loqui Christum Dominum de omnibus generaliter imperatoribus. Ex contextu enim colligitur interrogatum eum fuisse ac respondisse in particulari de imperante tunc temporis Cæsare. — 2° Quod iste Cæsar imperialem potestatem in Judæos *de facto* tunc

exerceret, certum faciebat ejus effigies nummis incisa. In singulis enim regionibus ille solus monetam effigie sua signat qui supremam auctoritatem exercet. — 3° Quod imperialem in Judæos potestatem dictus Cæsar *etiam legitime* exerceret, constabat ex eadem effigie, juncta cum notoriis aliunde circumstantiis. Nimirum effigies manifestam faciebat pacificam imperialis auctoritatis possessionem. Nec illam legitime quisquam turbare poterat; vel ex hac sola ratione, quod ejusmodi tentamen non aliud genti Judæorum invexisset quam summam calamitatem. Et aliunde dictus Cæsar non tyrannice agebat; sed populo Dei veræ religionis exercitium, ejus pontificibus liberam jurisdictionem et auctoritatem suam relinquebat. — 4° Pharisæi Jesum interrogantes, agnoscendo nummis inesse dicti Cæsaris effigiem, hoc ipso æquivalenter eum fatebantur legitimum imperatorem. Nam ex sola effigie constabat eum esse de facto imperatorem. Et quod legitime imperaret, manifestum simul faciebant circumstantiæ. Et præterea confitendo nummis inesse dicti Cæsaris effigiem, seu ipsum de facto esse imperatorem, non addiderunt : *sed illegitime*. Id quidem optabant dici a Christo, ut eum accusarent. Ipsi vero neque id sentiebant, neque ausi fuissent asserere. Igitur respondendo imaginem esse Cæsăris, perinde est ac si dixissent : Eum legitimum gentis nostræ imperatorem agnoscimus. In hoc sensu, ipsis non reclamantibus, eorum responsum accepit Christus, prout liquet e subjectis verbis : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Id est, cum vosmetipsi Cæsarem nunc imperantem pro legitimo imperatore habeatis, reddite ipsi quæ debentur legitimis imperatoribus. Fuit nempe, ut dicitur, argumentum ad hominem. — 5° Provocando ad dictam imaginem non docuit Christus, prout contendit Bossuet, obediendum esse cuilibet principi, ex hoc solo quod nummi sint ejus effigie signati. Nam *primo* non locutus est Christus generaliter de principibus, sed in particulari de imperante tunc Cæsare. *Secundo*, huic reddenda dixit Christus

quæ debentur imperatoribus legitimis; sed in hypothesi quod ipse legitimus esset, prout erat revera, et prout æquivalenter confessi erant pharisæi, ad quos respondit Christus. *Tertio*, si docuisset Christus id quod fingit Bossuet, docuisset falsum. Nam possibile est, nec una vice contigit, ut quis gentem aliquam injuste invadat, legitimum ejus regem expellat, imperialem ibi potestatem sibi usurpet, et statim suam monetæ effigiem substituat. Quam oppressionem ac tyrannidem non semel, verbi gratia, mahumetani principes exercuerunt. Si Bossuetio credas, emissis novis nummis, statim et ex hoc solo ejusmodi usurpator ac tyrannus legitimus fit, et, ex doctrina Christi, ei omnes prout legitimo imperatori obedire tenentur. Vesanam illam doctrinam impium est Christo affingere. Immo eam ipse Bossuetius alibi rejicit, dum usurpatores a legitimis principibus distinguit. — 6° Sed jam demus Christum de omnibus generaliter principibus locutum. Demus eum docuisse, cuilibet principi, ex hoc solo quod ejus effigie moneta signata sit, reddenda esse omnia quæ legitimis imperatoribus debentur. Quænam tandem docuit Christus reddenda esse principibus? Docuit dumtaxat reddenda esse *quæ sunt Cæsaris*, id est, quæ legitimis imperatoribus debentur. An autem declaravit quænam debeantur, quænam *sint Cæsaris?* Minime. An declaravit *esse Cæsaris*, seu imperatori deberi, ut a suprema Ecclesiæ potestate non possit deponi, etiamsi persecutionibus populum ad hæresim vel apostasiam pertrahere nitatur? Minime. An declaravit *esse Cæsaris* ut leges regis seu imperatoris, fini Ecclesiæ noxias, non possit Romanus Pontifex annullare ac irritas reddere? Minime. An declaravit *esse Cæsaris* ut rex pactum fundamentale regni patenter violans non possit legitime ab ejusdem regni civibus ejici? Minime. Ac demum, quæstionem illam *quæ sint Cæsaris* ne verbo quidem Christus Dominus attigit. Notet lector quam absone Bossuetius ad hunc sacræ Scripturæ locum provocaverit. Probandum susceperat Ecclesiæ nullam competere in rem temporalem statuum,

nullam reges in certis casibus deponendi potestatem. Et in probationem adducit textum, in quo Chistus dicit dumtaxat reddenda esse principibus quæ ipsis debentur. Quasi post allegata hæc divina verba non remaneat tota quæstio, an hæc vel illa sint necne Cæsaris, seu principibus debeantur! Sane non minus firmiter quam Bossuet sanctus Gregorius septimus, etsi de sua reges ex certis causis deponendi potestate nequaquam dubitaret, asserebat et confitebatur reddenda Cæsari quæ sunt Cæsaris, reddenda regibus quæ ipsis debentur. Immo illi etiam principi quem deponebat, reddi quod ipsi debebatur existimabat.

II. *Textus evangelici de persecutionibus quas apostoli passuri erant.* — *Ad præsides et reges ducemini propter me in testimonium illis* (S. Matth., x, 18). *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (S. Matth., x, 28). *Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis, et eritis odio omnibus propter nomen meum... in patientia vestra possidebitis animas vestras* (S. Luc, xxi, 16, 17, 19). *Cum autem persequentur vos in civitate ista fugite in aliam* (S. Matth., x, 23). — Ex iis textibus colligit Bossuet, non datam apostolis eorumque successoribus potestatem principibus resistendi, sed factum præceptum eis obediendi in civilibus seu in re temporali statuum : *Ut autem quovis auctore in ipsos insurgant, aut in civilibus jussa detrectent, nequidem innuit; imo vero id aperte vetat, cum nihil aliud indicit quam pati... sic adversus reges et præsides ac legitimos magistratus Christus magister nihil præter fugam relinquit, ut divina præsidia in invicto fidei spiritu, humana vero in fuga habeamus. Nihil præterea christianis adversus reges et magistratus concessum est. Sic declinare vim regiam, eique obluctari licet* (édit. Lebel, 1817, t. XXXI, p. 324).

Respondetur. — 1° Ibi loquitur Christus expresse et solummodo de persecutionibus quas apostoli passuri erant. Loquitur proinde dumtaxat quoad illud nascentis Ecclesiæ tempus, in

quo exerceri nondum poterat collata Petro ejusque successoribus potestas in rem temporalem statuum. Sane verba hæc *ad præsides et reges ducemini*, etc., *trademini autem a parentibus*, etc., non direxit Christus ad Bossuetium et alios synchronos præsules. Cum ergo agat Christus Dominus de apostolorum ac sævientis persecutionis tempore, mirum non est ab ipso non suggeri fulminandas in persecutores depositionis sententias, sed patientiam in tormentis et fugam. Potest autem ista Bossuetianæ objectionis confutatio sic contrahi : etiam in hypothesi quod Christus auctoritatem in temporalia statuum Ecclesiæ contulerit, potuit, relative ad persecutiones quas passuri erant apostoli, eis commendare dumtaxat patientiam et fugam, non autem dictæ potestatis in temporalia usum, qui fuisset impossibilis. Ergo, ex eo quod dictam in temporalia potestatem tunc siluerit, et exercendam in persecutores apostolis non suaserit, non sequitur eum jure hoc Ecclesiam non donasse. — 2° Ex eo solo quod Christus fugam suggesserit, falsitatis convincitur Bossueti systema. Nam contendit Bossuet obediendum esse in omnibus quæ peccaminosa non sunt. Quid ergo si princeps persecutor simul præcipiat non fugere et thus idolis offerre? Quod quis non fugiat, per se peccatum non est. Igitur, juxta Bossuetii placita, fidelis tenebitur non tantum ab idololatria, sed etiam a fuga abstinere, ne violet principis in re temporali præceptum. Præterea miles sic fugiendo, multipliciter transgreditur legem et mandata principis, quæ militibus injungunt ut stent sub vexillo, ut hoc vel illud muneris sui exequantur; quæ omnia per se mala non sunt nec peccaminosa. Ergo, ex Bossuetii placitis, non poterit miles, ad vitandam persecutionem aufugere; cum tamen dixerit Christus : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Notetur autem fugam in multis circumstantiis esse, non tantum licitam, sed etiam præceptam. (Vide Bianchi, *Potesta della Chiesa*, t. I, p. 482.) Item notetur per eam affici rem temporalem statuum. Si fugere licite possit et emigrare,

v. g., totus exercitus quem persecutor princeps vult ad peccaminosum actum adigere, potest idem exercitus principem istum indirecte deponere.

III. *Textus sancti Pauli, a Bossuetio allegati.— Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom., XIII, 1). *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse* (Tit., III, 1). *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali... Dei minister et tibi in bonum* (Rom., XIII, 3 et 4). Simul adducit Bossuet hanc sancti Chrysostomi interpretationem : *Ostendit enim quod ista imperentur omnibus, et sacerdotibus, et monachis, non tantum sæcularibus : id quod statim in exordio declarat cum dicit : Omnis anima potestatibus super eminentibus subdita sit, etiamsi apostolus sit, si evangelista, si propheta, si quisquis tandem fuerit.* Concludit Bossuet persecutoribus etiam principibus esse obediendum in omnibus, iis solis exceptis quæ legi divinæ adversantur. *Quæ exceptio*, inquit, *regulam firmat, evincitque in omnibus aliis præstandam obedientiam, honorem, vectigal, omnia quæ sunt Cæsaris* (édit. Lebel, 1817, t. XXXI, p. 327). *Nova illa exceptio de deponendis regibus Scripturæ superstructa atque aliena est* (ibid., p. 326).

Respondetur. — 1° Per illas *sublimiores potestates* non designavit sanctus Paulus solas potestates sæculares, prout supponit Bossuet, sed quaslibet, ac proinde spirituales etiam seu ecclesiasticas. Propositio universalis est; et aliunde restrictio ad sæculares potestates nequaquam ex contextu colligitur. Sed neque sanctus Chrysostomus restrictionem illam exprimit. Dicit solummodo, hac lege sublimioribus potestatibus obediendi constringi omnes, id est, tum sæculares, tum etiam sacerdotes et monachos. Nos aliunde probamus Romani Pontificis auctoritatem esse *sublimiorem* quoad eas res temporales regum seu statuum, quæ fini Ecclesiæ proprio necessariæ sunt, vel finem hunc impediunt. Quo probato, merito sic arguimus : Ex apostolo, sublimioribus potestatibus omnis anima

obsequi debet : atqui Pontificia potestas sublimior est relative ad regem quoad res temporales Ecclesiæ finem tangentes; ergo rex quoad res istas summo Pontifici obedire tenetur. — 2° Demus a sancto Paulo per *sublimiores potestates* intellectos fuisse dumtaxat temporales principes. Ut causa vinceret Bossuetius, probare debuisset locutum apostolum, non tantum de principibus legitimis et sat juste gubernantibus ut dici possint *ministri Dei in bonum*, sed etiam de quibuslibet usurpatoribus, persecutoribus, et populos catholicos ad hæresim apostasiamve trahentibus. Porro quod priores dumtaxat intellexerit apostolus evincunt hæc ejus subjecta verba : *Nam principes non sunt timori boni operis sed mali. Dei minister est tibi in bonum.* Jam vero Ecclesiæ non adscribimus potestatem deponendi principes ministros Dei in bonum, sed principes ministros diaboli in malum, qui nempe finem Ecclesiæ proprium, æternam salutem animarum, præpediunt. Hanc interpretationem non subvertunt, sed potius confirmant sancti Chrysostomi dicta. Sic quippe pandit quis fuerit sancti Pauli scopus : *Etenim rumor undique circumferebatur, quo apostoli ut seditiosi et novarum rerum auctores incusabantur, qui ad legum communium eversionem omnia facerent et docerent* (homil. 23, in epistolam *ad Romanos*, edit. Mauritanorum, 1731, t. IX, p. 687). Igitur accusabantur christiani, quod *leges communes*, quæ generaliter justæ erant, eversas vellent; quod potestatem temporalem, quæ per se bona est, immo necessaria et divinitus instituta, auferre tentarent. Quam calumniam ut dilueret apostolus, edixit generaliter teneri christianos omnes obsequi potestatibus temporalibus, iis utique per quas ordo et justitia in societate civili consistunt.

Huic interpretationi opponere solent Gallicani systematis sequaces subjecta sancti Pauli verba : *Non enim est potestas nisi a Deo.* E quibus colligunt principis etiam usurpatoris, persecutoris et populum catholicum ad apostasiam urgentis potestatem esse a Deo; ac proinde ipsi deberi obsequium in

omnibus quæ legi divinæ non adversantur. Quem errorem jamdudum confutavit S. Chrysostomus in ipsamet homilia, ad quam provocavit Bossuet : *Non est enim potestas nisi a Deo. Quid dicis? omnis-ne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit* (sanctus Paulus) : *Neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent alii subjecti sint..., divinæ esse sapientiæ dico. Ideo non dixit : Non enim est princeps nisi a Deo, sed de re ipsa loquitur dicens : Non enim est potestas nisi a Deo. Quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt* (loco citato, p. 686).

Igitur licet non sit potestas nisi a Deo, a Deo tamen non est quod talis princeps potestatem temporalem exerceat, nec quod eam exerceat Ecclesiam persequendo, et obstando ne finem suum prosequi valeat. Quod magis illustrando prosequitur Chrysostomus in hunc modum : *Sic et cum quidam sapiens* (Prov., XIX, 14) *dicit*, a Deo adaptatur viro mulier, *hoc dicit quia nuptias Deus constituit, non quia singulos qui mulieres ducunt ipse conjunxerit. Multos quippe videmus qui male, et non ex nuptiarum lege junguntur, neque hoc Deo imputaverimus.*

IV. *Textus sancti Joannis a Bossuetio allegatus. — Regnum meum non est de hoc mundo* (c. XVIII, v. 36). —Allegatus etiam fuit hic textus in famosa cleri Gallicani declaratione, anni 1682. Quam absone, facili negotio pandi potest. Vel enim arguunt ex sensu litterali, vel ex scopo quem habuit Christus verba hæc proferendo. Porro in utraque hypothesi absone textus ille adducitur ad probandum Ecclesiæ jus non competere in rem temporalem statuum.

1° Absone allegaretur litteralis horum Christi verborum sensus. Sic nempe se habet textus Græcus : ἡ βασιλέια ἡ ἐμη ὀυκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου... νῦν δε ἡ βασιλέια ἡ ἐμὴ ὀυκ ἔστιν ἐντεῦθεν, « regnum meum non est *ex* hoc mundo... nunc autem regnum meum non est *hinc.* » Versio Gallica : « Mon royaume n'est pas *de* ce monde, » æquivoca est. Potest nempe intelligi, tum in eo sensu quod regnum Christi *originem* non ducat *ex*

hoc mundo, tum in eo sensu, quod non versetur *circa res hujus mundi*. Gallicani autem systematis propugnatores intelligunt in hoc posteriori sensu, qui est evidenter erroneus, prout peremptorie probant particulæ ἐκ atque ἐντεῦθεν, et correspondentes latinæ, « non est *ex* hoc mundo, non est *hinc*. » Ægre fert Bossuetius quod tam instanter vindicetur verus hic sensus litteralis, cum eum neget nullus. « Diligenter advertunt, inquit, non esse a Domino dictum : Regnum meum non est *hic*, sed regnum meum non est *hinc*... Quæ quis nesciat? » At sibi persuadet, falsum illum sensum quem (ipso fatente) textus excludit, esse nihilominus verum si attendatur scopus a Christo Domino intentus. Id est, quamvis Christus dixerit : Regnum meum non est *ex hoc mundo*, voluit tamen dicere, non est *in hoc mundo*. Effugium istud præcludamus.

2° Falsum est, ob scopum a Christo intentum, verba ejus intelligenda esse in eo sensu quod regnum ejus non sit *in hoc mundo*, id est, *circa res temporales hujus mundi*. Equidem occasio fuit, tum Judæorum accusatio quod Christus regiam dignitatem affectasset, tum Pilati interrogatio, *Rex es tu?* Sed quid inde? En quoad substantiam mirum Bossuetii ratiocinium : scopus Christi respondendo fuit, ut a mente Pilati procul arceret timorem, ne se vellet Cæsari substituere; atqui ut hunc scopum efficaciter obtineret, debuit Christus dicere, regnum suum non esse *circa res temporales hujus mundi;* ergo quamvis aliud dixerit, hoc dicere voluit et dixisse censendus est. Respondeo : Scopus Christi fuit ut intelligeret Pilatus id quod divina sua verba significabant. Si voluisset Christus intelligi a Pilato, regnum suum *non esse circa res temporales hujus mundi*, hoc dixisset, et non dixisset aliud omnino diversum. Cæterum, dicendo regnum suum originem non ducere *ex hoc mundo*, satis intelligere poterat Pilatus hanc regiæ potestatis speciem eam non esse qua se Christus Cæsari substitueret. Sed quidquid Pilatus conjicere potuerit de effectibus quoad Cæsarem ejusmodi regni, non trahentis ex hoc mundo

originem, certum prorsus remanet Christum Dominum dicere voluisse quod dixit, et intelligi voluisse id quod divina ejus verba significant. Porro dixit : Regnum meum non est *ex hoc mundo*. Quod omnino stare potest cum Ecclesiæ potestate (utique non ex mundo accepta) in rem temporalem statuum. Igitur declarationi cleri Gallicani anni 1682 æternum dedecus erit, quod tali textu nitatur.

V. *Textus sancti Lucæ a Bossuetio allegatus.* — *Magister, dic fratri meo ut mecum dividat hæreditatem. At ille dixit illi : Homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos* (cap. XII, v. 13, 14). Ex quo textu tantam fiduciam excepit Bossuet, ut incunctanter scripserit : « Quæ verba si perpendimus, statim intelligimus finitam, quam tractamus, de temporalibus quæstionem. » (Edit. Lebel, 1817, t. XXXI, p. 535.) Sic respondet Bianchi (*de la Puissance ecclés.*, traduction de Peltier, t. I, p. 593, Paris, 1857) : « Ce passage, que Bossuet regarde comme péremptoire pour la question présente, ne s'y rapporte même pas. Son argument ne serait valable qu'autant que nous admettrions la fausse idée qu'il s'est formée du pouvoir attribué par nous à l'Église, et qu'il suppose un pouvoir temporel civil, auquel il appartiendrait directement de s'immiscer dans les questions temporelles et de vider les différends à mesure qu'il s'en élève dans la société civile. Mais cet argument est sans valeur dès qu'on suppose, au contraire, qu'il ne s'agit nullement d'un pouvoir *temporel et civil*, mais d'un pouvoir *spirituel* qui ne se rapporte qu'indirectement aux choses temporelles et en tant seulement que ces dernières intéressent le salut des âmes... Notre Seigneur, en refusant d'accéder à la demande intempestive de cet homme...., a fait voir, il est vrai, qu'il n'entre point dans le ministère qu'il a exercé ici-bas et qu'il a transmis à ses apôtres de faire son principal objet de juger les différends en matière civile et de régler les affaires temporelles. Mais il ne nous a pas dit pour cela qu'il y ait incompatibilité entre ce même ministère et le soin de régler

accidentellement et par occasion ces affaires d'intérêt minime, lorsque la piété, la religion ou quelque autre honnête motif en fait un devoir. Autrement l'Apôtre serait allé contre les enseignements de Jésus-Christ, lorsqu'il a défendu aux chrétiens de porter leurs procès devant les magistrats idolâtres, et qu'il leur a commandé de se choisir plutôt des juges dans la communauté des fidèles. » Igitur allegato textu docuit quidem Christus institutam non fuisse potestatem ecclesiasticam ad hoc ut ordinarie, seu *extra casum exceptionalem quo id finis Ecclesiæ requirat*, lites in materia temporali dirimat; at nequaquam docuit idipsum ad Ecclesiam non pertinere in dicto exceptionali casu. Porro hoc ipsum et non aliud tenent, qui Romano Pontifici potestatem adscribunt in rem temporalem statuum. Ergo textus a Bossuetio tam fidenter allegatus prorsus extra quæstionem est.

CAPUT III

QUAM PERICULOSUM SIT SYSTEMA BOSSUETII, AD VERUM SCRIPTURÆ SENSUM ET AD PRIORUM SÆCULORUM TRADITIONEM PROVOCANTIS.

Hac de re transcribemus manuscriptam gallicam dissertationem, quæ jam pluries superius citata fuit.

« I. Les protestants accusent l'Église romaine de s'être trompée en s'écartant de la vérité évangélique et de l'ancienne tradition, et d'avoir entraîné dans son erreur le monde catholique. Voyons si Bossuet ne formule pas la même accusation. « Gregorium VII ejusque successores liquido demonstravimus evangelicæ veritati et antiquissimæ traditioni repugnasse, cum reges deponere aggressi sunt. Ac tametsi eam, quam tot anathematibus exequebantur animi sui sententiam, neque expresso canone firmarent, neque in ecclesiasticum dogma redigerent, tamen Ecclesiæ potestati conflabant

ingentem invidiam, schismaticis et hæreticis occasionem præbebant, catholicos in errorem inducebant, nedum in fide confirmarent. » (Édit. Lebel, 1817, t. XXXIII, p. 120.)

« Quoique Bossuet se trompe, ainsi qu'on l'a vu précédemment, en ne faisant remonter qu'à saint Grégoire VII l'exercice du pouvoir papal sur le temporel des rois, il avoue du moins que saint Grégoire VII et ses successeurs s'attribuèrent ce pouvoir. Cet aveu embrasse treize papes et cinq siècles. C'est, en outre, un fait incontestable que pendant ce long espace de temps l'enseignement unanime des écoles catholiques attribuait aux Pontifes romains le pouvoir en question. Or, que dit Bossuet de cette persuasion de l'Église romaine? Il dit en propres termes qu'elle est contraire à la vérité évangélique et à l'ancienne tradition, et que les Pontifes romains en agissant ainsi ont induit en erreur les catholiques au lieu de les confirmer dans la foi, *evangelicæ veritati et antiquissimæ traditioni repugnasse...*; *catholicos in errorem inducebant, nedum in fide confirmarent.* Il est faux, du reste, que l'Église n'ait pas formulé cette persuasion par des canons disciplinaires; témoin le décret du concile de Trente sur les duels, décret exposé et discuté plus haut, page 111 et s. Voilà donc l'Église romaine accusée par Bossuet d'avoir failli pendant plusieurs siècles contre la vérité évangélique et contre les mœurs, puisque c'est faillir contre la morale que de commettre ce que Bossuet regarde comme une énorme injustice.

« II. Les protestants, pour prouver que l'Église romaine s'est écartée de la vérité évangélique et de l'ancienne tradition, opposent leur manière d'entendre les textes de l'Écriture et des premiers Pères, à l'explication qu'en donnent les Souverains Pontifes et les docteurs de l'École.

« L'expédient de Bossuet dans la défense de sa thèse est absolument le même. Les Souverains Pontifes qui se sont attribué un pouvoir sur le temporel des rois, et les théologiens qui soutiennent ce pouvoir comme une doctrine certaine, s'ap-

puient sur l'Écriture et sur la tradition[1]. Bossuet leur dit : Il est évident que vous entendez mal ces textes et que moi je les entends bien. Votre manière de les entendre a été, il est vrai, celle des Pontifes romains pendant cinq siècles et celle de toutes les écoles catholiques pendant ce temps, mais mon sens privé doit être préféré. Et qu'on ne dise pas que Bossuet n'explique pas l'Écriture et la tradition primitive par son sens privé, mais par l'intermédiaire entre la tradition primitive et saint Grégoire VII : cette tradition intermédiaire est elle-même invoquée par les Pontifes romains et par les théologiens opposés à Bossuet. Le sens de cette tradition est donc lui-même en question. Saint Grégoire VII et ses successeurs avec l'unanimité des écoles y voient la doctrine du pouvoir papal : Bossuet y voit le contraire; mais il ne peut invoquer que sa raison privée. En d'autres termes, Bossuet dit : L'Écriture est pour moi. On lui répond : Vous vous trompez, elle est pour nous, et nous avons en notre faveur les Papes de cinq siècles et l'enseignement unanime des écoles. Bossuet ajoute : L'Écriture expliquée par la tradition primitive est pour moi. On lui répond : Vous vous trompez, l'Écriture avec la tradition primitive est pour nous, témoin les Papes de cinq siècles et l'enseignement unanime des écoles qui ont entendu ainsi la tradition primitive et l'Écriture. Bossuet poursuit : L'Écriture expliquée par la tradition primitive, expliquée elle-même par la tradition subséquente jusqu'à Grégoire VII, est pour moi. On lui répond : Vous vous trompez, l'Écriture et la tradition primitive et la tradition subséquente jusqu'à Grégoire VII est pour nous; car et l'Écriture et la tradition primitive et la tradition subséquente jusqu'à Grégoire VII sont entendues dans notre sens par l'Église romaine et par l'unanimité des écoles.

[1] Hanc potestatem (dit Baronius) esse in Ecclesia Dei, et in Pontifice primario residere, posseque ipsum, si causa postulat, apostolica plenissima potestate infestum Ecclesiæ regem sive imperatorem deponere, ex Dei verbo, jure divino et lege naturæ, necessaria assumptione exploratissimum est. (Ad ann. 800, n. 15.)

Ici il faut que Bossuet se taise, ou qu'il allègue et préfère son sens privé quant à la manière d'entendre et l'Écriture et les monuments de la tradition. Il est donc en dernière analyse forcé de prendre vis-à-vis de l'Église romaine la même position que les protestants.

« III. Bossuet ne se laisse pas du tout ébranler par l'autorité d'un si grand nombre de Papes qui, pendant cinq siècles, se sont attribué un pouvoir sur le temporel des sociétés civiles : il ne voit aucun inconvénient à déclarer tout simplement que tous ces Papes sont tombés dans l'erreur, et il se tranquillise en disant que l'Église catholique n'a jamais *approuvé* cette doctrine, qu'elle ne l'a jamais admise comme *un article de foi : eaque omnia ideo non nocent, quod Ecclesia catholica nunquam ea approbarit, nunquam ut fidei doctrinam admiserit.* (Édit. Lebel, 1817, t. XXXIII, p. 120.) Mais ce fondement est-il bien solide et Bossuet a-t-il raison de s'y appuyer avec tant de confiance? Il est évident que ce fondement s'écroule si l'on parvient à démontrer ces deux points : 1° il est faux que l'Église catholique n'ait pas approuvé la doctrine en question ; 2° de ce que l'Église catholique n'a pas défini expressément cette doctrine comme article de foi, il ne s'ensuit pas qu'on ait droit de la nier. Or il est facile d'établir solidement ces deux thèses.

« 1° Il est complétement inexact de dire que l'Église catholique n'a jamais approuvé la doctrine d'un pouvoir papal sur le temporel des rois. Il est certain que cette doctrine a été constamment enseignée et suivie dans les églises de France pendant plusieurs siècles jusqu'à la venue de Calvin. Il est certain qu'il en a été de même hors de France. Les Églises des autres pays en communion avec l'Église romaine l'ont pareillement admise et soutenue plusieurs siècles avant Calvin ; elles ont continué à l'admettre jusqu'à nos jours. Il est certain, en un mot, que toutes les écoles du monde catholique l'ont constamment embrassée, enseignée et défendue d'un consentement

unanime jusqu'à Calvin, et hors de France même après Calvin. Il est certain qu'elle a été embrassée et soutenue par tous ceux des saints qui ont traité cette matière : témoin les deux Papes canonisés S. Grégoire VII et S. Pie V, S. Raimond de Pegnafort[1], S. Thomas d'Aquin[2], S. Bonaventure[3], le bienheureux Augustin d'Ancône[4], S. Antonin[5], S. Jean de Capistran[6]. Il est certain que ceux des cardinaux qui ont traité la question ont pareillement admis et soutenu le pouvoir de l'Église sur le temporel des rois : témoin Henri de Suze, évêque de Sisteron, puis archevêque d'Embrun, puis cardinal-évêque d'Ostie, le cardinal Zarabella, le cardinal de Turrecremata, le cardinal Jacobatius, le cardinal Sfondrat, le cardinal Brancati, le cardinal d'Aguirre; enfin les cardinaux Bellarmin et Duperron. En d'autres termes, parmi les cardinaux qui ont traité ce sujet, soit en France jusqu'au dix-septième siècle, soit hors de France jusqu'à nos jours, on n'en trouve pas qui nient ou qui mettent au rang des simples opinions libres le pouvoir de l'Église sur le temporel des sociétés civiles. Même concert de la part des évêques du monde entier qui ont écrit sur cette grave matière pendant les cinq siècles antérieurs à Calvin. — De plus, cinq conciles œcuméniques, et les Papes, c'est-à-dire l'Église romaine pendant cinq siècles suivent en pratique la même doctrine et manifestent la même persuasion; et pas un évêque, pas un théologien catholique dans le monde entier qui réclame et s'élève contre : et il s'agit d'un sentiment sur lequel, s'il était erroné, l'Église catholique n'aurait pas pu garder le silence, puisqu'il serait un attentat contre la justice, et, comme le veut Bossuet, un renversement de la vérité évangélique et

[1] Lib. I, Sum. can., tit. De hæret., § 7.
[2] 2, 2, quæst. XII. art. 2, et in prim. ad Corinth., cap. V.
[3] De Eccles. hierarch., p. 2.
[4] De Eccles. potest., q. XLVI, d. 2.
[5] 3 p., lib. III, cap. III, De Jurisd. Papæ, tit. XII.
[6] De Auctor. Papæ, t. III, Tract. jur.

traditionnelle. En pareil cas, laisser se propager cet enseignement et cette persuasion unanimes, garder le silence et ne pas arrêter le cours d'une telle doctrine, et surtout la suivre en pratique, c'est incontestablement pour l'Église catholique l'*approuver*. Il est donc inexact qu'il n'y ait jamais eu approbation de la part de l'Église catholique. Les cinq siècles pendant lesquels la question a été traitée, discutée et mise à exécution sont une approbation éclatante qu'on n'effacera jamais de l'histoire, et dont on n'éludera la portée qu'en accusant l'Église de s'être égarée.

2° De ce que l'Église n'a pas expressément défini comme article de foi la doctrine d'un pouvoir papal sur le temporel des rois, que doit-on conclure? La conséquence rigoureuse est que la doctrine contraire ne constitue pas encore une hérésie formelle. Mais il n'en reste pas moins vrai que, pendant cinq siècles, l'Église romaine a entendu l'Écriture et la tradition dans le sens du pouvoir papal sur le temporel; que l'enseignement unanime des écoles catholiques jusqu'à la déviation attribuée à la Faculté de Paris, en 1663, a été du même sentiment; que de tous les saints, de tous les cardinaux, de tous les évêques, de tous les docteurs réputés graves et orthodoxes qui ont traité la matière, il n'en est pas un jusqu'en 1663 qui n'ait enseigné la même doctrine comme certaine.

Or, s'élever contre un enseignement de cette nature pour lui préférer le sentiment particulier et tout récent d'un petit nombre d'hommes, a toujours été regardé dans l'Église catholique comme une hardiesse pleine de péril. Si l'on doit avec Melchior Cano regarder comme *téméraires* ceux qui s'élèvent contre l'enseignement unanime de l'école[1], et si le fait de cette unanimité en faveur de la doctrine en question est

[1] Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententia in re quidem gravi, adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit (l. VIII, c. IV, concl. 2). — Concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est (Idem, concl. 3a).

suffisamment constaté, n'est-on pas en droit de regarder comme fausse et déplorable l'opinion contraire de Bossuet?

IV. Les protestants accusent l'Église catholique de s'être trompée, même dans ses décisions dogmatiques. Bossuet sur ce point les combat : il nie que l'Église se soit jamais trompée, qu'elle puisse jamais se tromper dans une définition de foi. Néanmoins en avouant que pendant cinq siècles les Papes et les docteurs de l'École induisaient les catholiques en erreur, *in errorem inducebant catholicos*, et s'écartaient de la vérité évangélique et de la tradition primitive, *evangelicæ veritati et antiquissimæ traditioni repugnasse*, il expose les protestants à la tentation de conclure que l'Église catholique peut errer pendant des siècles dans un enseignement universel toléré et approuvé par elle. Or cette tentation en amène une autre : celle de conclure qu'elle peut aussi errer dans ses décisions dogmatiques. Car, dans ses décisions, elle a coutume, dit Melchior Cano, de prendre pour règle l'enseignement universel des docteurs[1]. Et, d'autre part, pour que les portes de l'enfer ne prévalent pas contre l'Église, il est nécessaire non-seulement qu'elle ne puisse pas errer dans ses décisions dogmatiques, mais encore qu'elle ne puisse pas tolérer et approuver un enseignement universel, qui renverserait la vérité évangélique avec la tradition, et favoriserait une énorme injustice. Accorder aux protestants ce qui les autorise à conclure qu'elle peut errer de la seconde manière, c'est les exposer à conclure quelle peut errer aussi dans ses décrets de foi.

[1] Trecentos abhinc annos si quas ecclesia hæreses condemnavit, si qua de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum subsidio et diligentia vehementer adjuta est (l. VIII, c. IV, p. 173, edit. Bassani 1776).

CAPUT IV

QUAM POTIORI JURE AD SACRAM SCRIPTURAM PROVOCETUR AD VINDICANDAM ECCLESIÆ POTESTATEM IN REM TEMPORALEM STATUUM.

1° Textus Matthæi (16-18), *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis*, etc., per se includit omnia prorsus jura, quæ a Christo Ecclesiæ conferri potuerunt. Vox enim *quæcumque* nihil excipit. Ergo nisi probetur non potuisse aut debuisse a Christo conferri jus in rem temporalem statuum, jusve reges in certis casibus deponendi, e sacro textu colligendum est, hac quoque prærogativa Ecclesiam donatam fuisse.

2° Idem sequitur e verbis ad Petrum directis : *Tibi dabo claves... Quodcumque ligaveris... Claves* supremam potestatem designant, prout fatentur eruditi, etiam protestantes. Aliunde vox *quodcumque* limitem excludit.

3° Idem evincunt Christi verba : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Sane oves sunt reges, et quælibet societatis civilis membra : potest ergo Petrus eos regere prout pastor regit ovile; id est, quoad omnes ovium actus; ac proinde quoad actus etiam regiæ potestatis ac aliorum civilium munerum. Dum enim dixit Christus *pasce*, non addidit *quoad talem dumtaxat actuum speciem.*

4° Quod autem is verus sit Scripturæ sensus, non more protestantico, ex sola privata nostra ratione colligimus; at ex auctoritate Patrum, conciliorum, romanorumque Pontificum, ac omnium unanimiter scholæ doctorum.

SECTIO VI

ARGUMENTA E RATIONIBUS THEOLOGICIS

Ratio theologica dicitur conclusio legitime deducta e principiis, quorum alia certa sunt ex fide seu revelatione, alia evidenter vera percipiuntur.

CAPUT I

ARGUMENTUM EX UTRIUSQUE SOCIETATIS FINE.

1° Notionem præmittemus de triplici societate, religiosa nempe, domestica et civili, de proprio uniuscujusque fine et eorumdem finium subordinatione. 2° Expendemus quæstionem de possibili, videlicet an potuerit Deus ecclesiasticæ potestati jus in rem temporalium societatum civilium tribuere. 3° Solvemus quæstionem facti, nimirum an de facto ecclesiastica potestas hocce jure donata sit.

§ 1. — De societatis religiosæ, domesticæ ac civili proprio fine, et de eorumdem finium subordinatione.

Propositio Iª. — *Non potuit Deus, homines creando, alium finem ultimum sibi proponere, quam seipsum tanquam summum bonum attingendum, per uniuscujusque hominis æternum cognitionis et amoris actum.* —Nam finis *ultimus* propter quem quis agit, est illud bonum quod appetit supra quælibet alia bona,

et in quo appetendo quiescit, nihil ultra quærens. Cætera nempe non appetuntur nisi tanquam *media* ad finem ultimum. Jam vero repugnat posse Deum aliquid amare ac appetere supra seipsum. Cum enim ipse sit bonum infinitum, si quid plus amaret seipso, prave ageret, ab infinita perfectione deficeret, Deus esse desineret. Igitur angelos et homines creando, hunc finem ultimum sibi proposuit Deus, ut seipsum tanquam bonum summum attingeret. Jam autem ab æterno, ante omnem creationem, seipsum immediate attingebat. Ergo creaturas condendo intelligentia et amore præditas, voluit seipsum tanquam finem ultimum attingere diverso modo, id est, per ipsarum cognitionis et amoris actum. Quæ tamen diversitas non stat ex parte Dei, sed tota ex parte creaturarum. Nimirum finitus ille actus quo unusquisque homo et angelus Deum tanquam bonum summum in æternum cognoscet et appetet, est participatio quædam infiniti actus quo sibi pariter Deus summe adhæret. Infinitus actus, quatenus in Deo, finitus quatenus in creatura. Hinc colliges : 1° Transitorium esse, non autem definitivum, præsentem hominis statum, in quo possibile ac liberum ipsi est Deum non appetere supra bona omnia, imo Deum summum bonum miseris delectationibus postponere. Repugnat enim posse Deum frustrari fine quem intendit, et ad quem attingendum agit. Cum ergo creaturam intelligentem condendo, sibi necessario tanquam finem ultimum proposuerit ab ipsa obtinere æternum istum cognitionis et amoris Dei actum, necesse est angelos et homines omnes aliquando ad hunc actum devenire, ac in eo in æternum ita immote consistere, ut jam ipsis impossibile sit quidquam aliud præter Deum tanquam bonum summum appetere. — Colliges 2° ad dictum cognitionis et amoris Dei æternum actum adducendos, non tantum beatos, sed etiam damnatos, licet diverso modo. Duplex quippe Dei tanquam summi boni amor. Amor *fruens* objecto suo, et hic est summa felicitas, qua beati per visionem intuitivam in æternum po-

tientur; et amor *carens* objecto suo, id est, summo bono, seu Deo. Is autem, si careat simul omni bono finito, et jam totis viribus Deum summum bonum unice appetat, absque ulla spe infinitum illud bonum unquam consequendi, est summa infelicitas, qua damnati in inferno cruciabuntur. Porro, ad Deum quod attinet, finem quem sibi proposuit non minus per *carentem* quam per *fruentem* amorem attingit. Quamvis enim æternus ille amoris Dei actus, prout a damnato elicitur, sit *carens*, prout tamen in Deo infinite completur et perficitur est summe fruens. Et quod sit carens in damnato, ipsius culpa est; quia in terrestri vita, Deum tanquam summum bonum, prout jubebatur et facile poterat, noluit prosequi; sed aliquod finitum bonum, aut aliquam finitorum bonorum copiam, tanquam summum bonum et finem ultimum prosecutus est, et sibi Deum fecit, in quo stat tota mortalis peccati ratio et malitia. —Colliges 3° post præsentem in terris vitam, damnatum qualibet vel minima boni particula necessario spoliandum esse. Si enim aliquod ipsi bonum superesset, licet finitum et valde limitatum, posset, sicut in præsenti vita illud anteferre summo bono, id est, Deo, et sic renuere æternam illam ad Deum tanquam summum bonum tendentiam, quam Deus sibi proposuit, et qua eum fraudari posse repugnat. Igitur damnatorum sensus et facultates omnes quolibet bono spoliari necesse est; seu necesse est damnatos in toto ente suo dolorem perpetuo pati. — Colliges 4° in damnatis non sese excludere amorem summum et summum odium Dei; immo summi odii non aliam esse causam quam amorem summum objecto suo carentem. Enimvero qui bonum aliquod amat, si eo privetur, necessario dolet. Quod si non doleret, dictum bonum non amaret, sed erga illud sese indifferentem haberet. Insuper odio habet personam quæ ipsi bonum istud eripit. Hoc ipso enim quod quis objectum aliquod amat, vult non existere ullam causam per quam bono isto spolietur. Si qua vero ejusmodi causa exis-

tat, vult eam destrui, perimi et annihilari, in quo præcise odii essentia consistit. Insuper si nulla spes affulgeat ereptum bonum recuperandi, cum dicto *dolore* et *odio* aderit simul *desperatio*. Boni parum amati privatio, parum causat doloris, odii ac desperationis. At si bonum aliquod *summe*, *unice* ac *necessario* ametur et appetatur, illius privationem necessario consequitur dolor summus, odium summum personæ bonum hoc eripientis, et summa desperatio. Ea porro damnatorum conditio. Jam Deum agnoscunt tanquam summum bonum, et quatenus tale ipsum totis viribus unice, summe ac necessario appetunt : en summus Dei amor. Simul autem cum omnimoda certitudine sciunt se nunquam bonum istud consecuturos : en desperatio summa. Et tandem quia persona quæ hoc eis bonum eripit est Deus ipse, sese ipsis denegans, eum summo, necessario ac in æternum duraturo odio prosequuntur. Quæ amoris simul et odii quoad eamdem personam compossibilitas potest etiam e sequenti facto colligi. Anno 1826, juvenis quidam puellam, Parisiis via vulgo dicta de Sèvres degentem, vehementer amabat et uxorem ducere postulabat. Monendum eum curavit puella, nolle se matrimonium inire; proinde ipsam invisere desineret. Quo audito, juvenis ipsam e domo egredientem, infixis cultri viginti septem vulneribus interfecit. Ibi vides in eamdem personam amorem simul et odium. Non alia de causa occidebat, quam quod vehementer amabat, et illa sese denegabat.

Igitur quod docet fides de damnatorum conditione, nedum contradicat, prorsus econtra quadrat præsenti nostræ propositioni, nempe Dei homines condentis finem ultimum fuisse dictum æternum cognitionis et amoris actum, quo unusquisque homo ad Deum tanquam summum bonum tenderet. Quæ cæteroquin doctrina tota implicite in hoc sacræ Scripturæ verbo continetur : *Omnia propter semetipsum operatur Deus.*

Propositio IIª. — *Deus voluit et instituit societatem civilem tanquam medium ad finem societatis domesticæ seu familiæ;*

societatem vero domesticam tanquam medium ad finem societatis religiosæ seu Ecclesiæ; ipsam vicissim Ecclesiam tanquam medium ad finem ultimum, quem sibi homines creando proposuit. — Finis societatis civilis est singulis hominibus et familiis securitatem ac temporalem prosperitatem procurare. Finis societatis domesticæ seu familiæ, hominum procreatio et apta educatio. Finis Ecclesiæ, homines, sic per familiam procreatos et apte præparatos, veram fidem edocere, divina gratia per sacramentorum administrationem imbuere, aptis mediis et curis ad divinorum mandatorum observantiam impellere, et sic in vitam æternam traducere.

Dicimus 1° : societatem civilem non esse nisi medium ad finem societatis domesticæ seu familiæ. Nam si familiæ singulæ, absque ullo adinvicem societatis vinculo securæ subsistere, finemque suum humanum genus perpetuandi et homines apte educandi attingere possent, inutile prorsus foret civilem societatem constituere, cum suo rege imperatoreve aut senatu, cum exercitu, judicibus aliisque rei administratoriæ appendicibus. Imo id noxium foret, cum fieri nequeat nisi cum notabili unuscujusque familiæ detrimento; id est, quin familia quælibet cogatur tributum solvere, filios ad militiam expetitos tradere, et quamplurimis auctoritatis civilis mandatis et prohibitionibus sese aptare ac subjicere. At cum ea sit, ob peccatum originale, præsens humani generis conditio, ut semper et ubique adsint homines nequam, pravisque cupiditatibus servientes, qui nisi fortiter coercerentur, in furta, cædes ac cætera flagitia sese converterent; cumque aliunde unaquæque familia sejunctim sumpta impar sit arcendis ejusmodi malis, ideo prorsus necesse est familias multas simul in societatem coire, quam regat suprema quædam auctoritas, sicque singulorum securitati consulatur. Præterea multa sunt bona, ad proprium familiæ finem utilia, vel etiam necessaria, quæ singulæ familiæ sibi comparare non possent, nisi in unum sociale corpus adunarentur. Igitur, ci-

vilis societas est revera necessarium medium ad societatis domesticæ seu familiæ finem; ac proinde omnino censendus est Deus eam voluisse ac instituisse. At non est *nisi medium* relative ad familiam, cum, ex dictis, inutilis, nociva et stulta foret ejus institutio, si absque ulla societate civili quælibet familia finem sibi proprium apte posset attingere. Proinde omnino cæcutiunt qui societatem civilem seu statum veluti quoddam idolum colentes, putant institutas familias propter societatem civilem, cum e contra institutus fuerit status propter familiam, id est, tanquam medium ad finem familiæ proprium.

Dicimus 2° : institutam a Deo societatem domesticam seu familiam tanquam medium ad finem societatis religiosæ seu Ecclesiæ. Instituta quippe fuit Ecclesia ut homines, jam per familiam procreatos et educatos, supernaturali vita, supernaturalibusque mediis ad æternam beatitudinem disponat. Igitur liberorum procreatio et educatio, seu finis societatis domesticæ, est medium relative ad Ecclesiam.

Dicimus 3° : Ecclesiam esse medium relative ad finem ultimum quem Deus homines creando sibi proposuit. Enimvero iste finis ultimus, prout propositione prima probavimus, est æternus amoris actus quo quilibet homo in Deum,tanquam summum bonum totis viribus sese feret, et per quem ipse Deus sese attingit, ipsum infinite complendo. Cumque iste actus possit esse vel fruens objecto suo, id est, summa beatitudo, vel objecto illo carens seu damnatio, voluit Deus a libero hominis arbitrio pendere utramque conditionem; et ideo instituit transeuntem et necessario finituram terrestrem vitam, in qua homo alterutrum eligeret; et simul instituit Ecclesiam; in qua et per quam unusquisque homo juvaretur et impelleretur ad eligendum dictum actum fruentem, seu summam beatitudinem. Igitur ipsa etiam Ecclesia est medium relative ad finem ultimum quem Deus homines creando intendit.

Propositio III[a]. — *Finis societatis civilis subordinatur fini societatis domesticæ seu familiæ, et finis familiæ subordinatur fini Ecclesiæ.* — Nam finis subordinatur alteri fini hoc ipso quod sit medium relative ad istum alterum finem. Cum igitur, ex propositione secunda, finis societatis civilis sit medium relative ad finem societatis domesticæ, et finis societatis domesticæ sit medium relative ad finem Ecclesiæ, sequitur finem societatis domesticæ *subordinari* fini Ecclesiæ, et finem societatis civilis *subordinari* tum fini societatis domesticæ, tum fini Ecclesiæ.

§ 2. — Quæstio de possibili. — Non repugnat, seu possibile fuit, a Deo datum Ecclesiæ jus aliquod in rem temporalem societatum civilium.

Propositio I[a]. — *Potuit Deus ambas potestates, ecclesiasticam scilicet et civilem, distinctas instituere, et simul velle civilem alteri certo modo subjectam*[1]. — Id non potuisset Deus, quia repugnaret ambas societates esse distinctas, et simul unam alteri aliquo modo subesse. Nulla enim alia impossibilitatis ratio excogitari potest. Porro non pugnat vera distinctio cum aliqua unius subjectione relative ad alteram. Seu, quod idem est, ut ambæ potestates sint distinctæ, necesse non est ut sint *mutuo independentes in omnibus*. Quod antequam probemus, prænotandum quid hac de re gallicanismus *parlamentarius*, quid *moderatus* persuadere tentaverint.

Uterque gallicanismus allegat principium istud, (cæteroquin certissimum et traditione catholica nixum), *distinctas* a Deo institutas fuisse ambas potestates, civilem scilicet et ecclesiasticam. Inde autem concludit gallicanismus *parlamentarius*, civilem esse *in omnibus independentem* ab ecclesiastica; ecclesiasticam autem *dependere a civili* quoad ea quæ hujusce posterioris interesse quocumque modo tangunt, licet attingant etiam interesse prioris. Cujus conclusionis patet error,

[1] Confer quæ in probationem hujus propositionis diximus in *Tractatu de jure liturgico* (parte II, sect. II, cap. III, prop. 3).

nisi melius dixerim mala fides. Eccur enim, ex eo quod sint *distinctæ*, concludunt civilem potius quam ecclesiasticam esse in omnibus ab altera prorsus independentem? Si distinctio non impediat quin una possit esse prorsus independens, altera autem aliquo modo subjecta, cur omnimodam independentiam civili, subjectionem Ecclesiasticæ tribuendam colligunt? Non alia sane de causa, quam quod ejusmodi systematis sequaces, terrenis principibus palpare voluerunt, ut eos in evertenda Christi Ecclesia cooperatores efficerent.

At gallicanismus *moderatus* ex ambarum potestatum *distinctione* concludit mutuam et omnimodam ab invicem *independentiam*. Ex ea scilicet ratione quod qualibet unius quoad alteram subjectione tollatur distinctio.

Porro prætensa hæc distinctionis et alicujus dependentiæ incompossibilitas error est manifestissimus. Quod sic probari potest:

1° Evanescit quidem seu non existit duarum potestatum distinctio, si totum quod habet una contineatur in altera, et vice versa; tunc enim unaquæque idem est ac altera; nec proinde extant duæ, sed unica. — Item non existit *proprie dicta distinctio*, si una potestas excludat alteram quin tamen ab ipsa excludatur; seu quando exclusio non est *bilateralis*, sed dumtaxat *unilateralis*. Tales sunt, verbi gratia, regia potestas et potestas gubernatoris provinciæ a rege constituti. Gubernatoris potestas tota continetur in potestate regis, dum e contra regis potestas non continetur in potestate gubernatoris, sed eam multum excedit. Unde gubernatoris potestas excludit regiam; non autem vicissim excluditur a regia, sed includitur. Quando ita se habent duæ potestates, una est *ministerialis* relative ad alteram; et quamvis veram potestatem habeat minister, non tamen eam habet *exclusive propriam*, siquidem ea potestas simul et potiori titulo, ei competit cujus minister est. Porro quando agitur de *proprie dicta* duarum potestatum distinctione, non intelligitur casus ex-

clusionis unilateralis, seu casus quo una non sit nisi alterius *ministra;* sed intelligitur casus exclusionis *bilateralis*, ita ut unaquæque habeat jus aliquod sibi *exclusive* proprium, quo careat altera, seu de quo altera dicere cum veritate nequeat : jus istud meum est. Atque in hoc strictiori sensu dicimus stare posse duarum potestatum distinctionem, licet una non sit ab altera *in omnibus independens*, sed ei quoad nonnulla subjaceat.

2° Potestas quæ dependet ab alia potestate, vel dependet *in omnibus*, vel solummodo *quoad aliqua*. Si dependeat totaliter seu in omnibus (sicut minister, verbi gratia vel gubernator provinciæ pendent a rege qui eos constituit), tunc quidem non existit inter duas illas potestates *proprie dicta distinctio;* siquidem una nihil omnino potest absque assensu alterius, nec proinde habet jus ullum sibi exclusive proprium, nec est proinde nisi alterius ministra. — Secus autem sese res habet, si potestas dependens ab alia potestate, *quoad aliqua* solummodo dependeat. Nam tunc *in cæteris omnibus* habet jus sibi exclusive proprium, ita ut legitime nequeat altera potestas in his sese intromittere. Adest nempe *in cæteris omnibus* supradicta distinctio bilateralis, ac proinde *distinctio proprie dicta*. Igitur minime repugnat duas potestates esse vere ac proprie distinctas, licet una in nonnullis alteri subjaceat. Sit in exemplum imperator qui duobus filiis suis ditionem suam æqualiter dividit, cum ea tamen conditione, ut junior filius nequeat, absque natu majoris assensu, cum vicinis regnis ullum fœdus inire; in reliquis autem prorsus ab invicem independentes sint. Ibi habes duo regna vere distincta, licet unum ab altero dependeat eique subjiciatur quoad dictam fœdera ineundi potestatem. Sint etiam in exemplum duo regna, quorum unum armis ab altero superatum, pacem postulat atque obtinet sub sequentibus conditionibus : quod nempe jam nequeat absque victoris assensu, ullam militarem navim habere; quodque in posterum nequeat ultra viginti millia homi-

num ad vexilla vocare; in cæteris autem præterita sua independentia potiatur. Sane duo ista regna vere ac proprie distincta remanerent, et tamen unum alteri quoad nonnulla subjaceret. Igitur evidentissimus error est ista gallicanorum theologorum assertio : stare nequit duarum potestatum distinctio, nisi cum mutua *in omnibus* independentia. Immo stat necessario distinctio, hoc ipso quod una *in nonnullis*, non in omnibus, alteri subsit.

3° Ergo potuit Deus ecclesiasticam et civilem potestates distinctas instituere, et simul velle civilem alteri certo modo subjectam. Ideo enim id Deus non potuisset, quia incompossibilis foret duarum potestatum distinctio cum qualibet unius ad alteram subjectione. Atqui incompossibilis, non est, ut probavimus.

Propositio IIª. — *Potuit Deus, etsi ambas potestates distinctas instituerit, quoad casum quo civilis ecclesiasticam injuste præpediret, jus ecclesiasticæ tribuere civilem coercendi, etiam regem aliosve civilis potestatis ministros deponendo.* — Nam, ex propositione præcedenti, potuit Deus, stante distinctione, civilem ecclesiasticæ subjectam velle *aliquo modo*. Porro non magis repugnat quod subjectam voluerit eo modo quem dicimus, id est, pro casu quo civilis ecclesiasticam a prosequendo fine suo injuste præpediret, et ita ut in hoc casu jus Ecclesiæ competeret civilem coercendi, etiam regis depositione. Ideo enim dictam subjectionem instituere non potuisset Deus, quia talis subjectio ambarum potestatum distinctionem tolleret. Porro ex propositione prima non tollitur distinctio, quandiu civilis potestas ecclesiasticæ subest dumtaxat in nonnullis, et independentiam suam servat in cæteris. Dependentia autem quam hic possibilem asserimus, non est quoad omnia, sed quoad unum determinatum casum. Ergo potuit Deus dicto modo statuere, stante utriusque potestatis distinctione.

Propositio IIIª. — *Potuit Deus, stante ambarum potestatum*

distinctione, Ecclesiæ supremum judicium tribuere de prædicto casu, id est, an civilis potestas ecclesiasticam injuste præpediat. — Id non potuisset Deus, vel quia tolleretur utriusque potestatis distinctio, vel quia obstaret rectus ordo, ne sic Ecclesia judex constitueretur in propria causa. Nulla enim alia ratio alicujus momenti excogitari potest ad fulciendam prætensam impossibilitatem. Porro : 1° non tollitur ambarum potestatum distinctio per aliquam subordinationem in nonnullis casibus, sed dumtaxat per subordinationem *quoad omnia*, prout præcedentibus propositionibus probatum est. 2° Non obstat rectus ordo Ecclesiam constitui in propria causa supremum judicem, si constituatur simul in hoc judicio infallibilis. Porro certum omnino est, et ab omnibus qui catholice sentire volunt omnino tenendum, infallibilem a Deo constitutam Ecclesiam quoad dogma et mores. Ad dogma autem simul et mores pertinet quæstio hæc, an civilis potestas, tali modo agens, peccet et Ecclesiam injuste præpediat. Igitur et in hac solvenda quæstione infallibilis est Ecclesia. Ergo non obstat rectus ordo ne possit Ecclesia eam quæstionem supremo judicio definire, quamvis judicando in propria causa.

Propositio IVª. — *Potuit Deus, etsi ambas potestates distinctas instituerit, velle ut in materiis mixtis, id est, ad utramque simul pertinentibus, civilis ecclesiasticæ subesse deberet.* — Id enim impossibile prætenderetur, vel quia sic colleretur utriusque potestatis distinctio, vel quia Ecclesia judex in propria causa constitueretur, quod non admittit rectus ordo. Porro duæ illæ rationes non valent, prout præcedenti propositione probatum est.

Propositio Vª. — *Potuit Deus velle ad ecclesiasticam potestatem pertinere judicium, an materia sit necne mixta.* — Pro impossibilitate non aliæ alicujus momenti rationes excogitari possunt quam duæ modo dictæ, videlicet, quia tolleretur utriusque potestatis distinctio, vel quia Ecclesia nequit esse

judex in propria causa. Quæ duæ rationes satis jam confutatæ sunt.

Propositio VIa. — *Si Deus ambas potestates prædicto modo instituisset, sequeretur civilem esse ab ecclesiastica independentem quoad originem, non quoad subordinationem.* — 1° Esset independens *quoad originem suam.* Non enim instituta fuisset ab Ecclesia, sed immediate a Deo. 2° Simul tamen esset Ecclesiæ certo modo *subordinata.* Nam instituta fuisset a Deo tanquam medium ad finem Ecclesiæ proprium, et hoc ipso huic Ecclesiæ fini fuisset subordinata. Item subordinata fuisset in materiis mixtis, et in judicio an materia sit mixta.

Conclusio paragraphi. — *Ergo possibile fuit a Deo dari Ecclesiæ jus aliquod in rem temporalem societatis civilis.* — Aperte sequitur e præsentis paragraphi propositionibus.

§ 3. — Quæstio facti. — De facto præfatum jus a Deo Ecclesiæ collatum fuisse, merito colligitur ex utriusque potestatis fine.

Propositio Ia. — *Voluit et instituit Deus civilem societatem et potestatem tanquam medium ad finem societatis et potestatis religiosæ seu Ecclesiæ.* — Id probatum est supra, § 1, propositione II.

Propositio IIa. — *Hoc ipso quod Deus voluerit et instituerit civilem potestatem tanquam medium ad Ecclesiæ finem, voluit societatem civilem Ecclesiæ subesse quantum opus est ut hæc finem suum proprium convenienter prosequatur.* — Nam hoc ipso quod velit Deus aliquam potestatem tanquam medium ad finem alterius potestatis, vult priorem inservire ac proinde subesse alteri. Alias enim idem vellet simul Deus et non vellet. Vellet priorem esse medium, quod idem est ac subordinari ac subesse; et simul idem nollet ex hypothesi. Igitur e proprio ambarum potestatum fine, rigorose colligitur, civilem, ex officio suo et de jure divino, ecclesiasticæ subjici quantum opus est ut hæc finem suum convenienter prosequatur.

Propositio IIIa. — *Hoc ipso quod Deus voluerit potestatem civilem ecclesiasticæ subesse quantum exigit finis Ecclesiæ proprius, jus Ecclesiæ contulit ea impediendi seu coercendi per quæ societas civilis, non medium, sed e contra impedimentum foret dicto Ecclesiæ fini.* — Etenim vel vellet Deus a nulla potestate coerceri posse societatem civilem fini Ecclesiæ adversantem, vel vellet eam coerceri posse per potestatem ab ecclesiastica diversam, vel tandem hocce jus coercitionis Ecclesiæ contulit. — Non *primum*, quia tunc non instituisset Deus potestatem civilem tanquam *medium* ad finem Ecclesiæ; sed e contra instituisset tanquam impedimentum. Siquidem ei liberum reliquisset totum Ecclesiæ opus subvertere ac pessumdare. Non *secundum*. Nam illa potestas esset vel Deus ipse, immediate per seipsum potestatem civilem corrigens, vel aliqua humana potestas, non tamen ecclesiastica. Non Deus ipse, cum experientia et historia constet Deum per miracula non intervenire, ut Ecclesiæ persecutores coerceat et de medio tollat. Non alia præter Ecclesiam humana potestas; nam de facto nulla unquam visa est in terris ejusmodi humana potestas, quæ se institutam a Deo prætenderet ad reprimenda societatis civilis in Ecclesiam attentata. — Igitur remanet *tertium*, nempe ipsimet Ecclesiæ a Deo collatum hocce coercitionis jus atque potestatem.

Objicies. — Tale jus esset inutile, quia inefficax : inefficax quia caret Ecclesia exercitibus quibus prævalere possit contra societatis civilis rectores. Igitur non censendus Deus tale jus Ecclesiæ contulisse.

Respondeo. — Dictum jus nequaquam est inefficax relative ad populos vere catholicos, quales esse omnes tenentur et quales de facto extiterunt per longa sæcula. Sit in exemplum casus quo rex aliquis populum suum vere ac practice catholicum ad apostasiam hæresimve pertrahere conetur. Si depositionis sententiam in regem istum Ecclesia pronuntiet, simulque sub excommunicatione prohibeat ne depositum

principem ullus jam pro legitimo rege habeat, sive ut tali obsequium præstet, totus ille populus, Ecclesiæ decreto sese subjiciens, dictum regem ejiciet, et ad alium eligendum sese convertet. — Insuper, cæteris principibus catholicis injungere potest auctoritas ecclesiastica, ut brachii sæcularis auxilium præstent contra regem depositionis sententia perculsum. Qui, si catholice sentiant, prout debent, et prout olim de facto generaliter principes sentiebant, efficacia non carebit dicta depositionis sententia. — Quod si agatur de populo hæreticis incredulisve magna ex parte conflato, tunc equidem inefficax remanere poterit dictum Ecclesiæ jus. Sed hoc erit *per accidens*. Neque ideo jure hoc Ecclesia carebit, licet utiliter et efficaciter exercere nequeat.

Propositio IV[a]. — *De facto jus Ecclesiæ competit : 1° irritandi seu annullandi societatis civilis leges fini Ecclesiæ proprio adversas; 2° obligandi ejusdem societatis civilis rectores ad cohibendam typographiæ libertatem, ita ut edi nequeant libri absque auctoritatis ecclesiasticæ facultate; 3° quoad juvenum instructionem sive litterariam, sive scientificam quamlibet, ea exigendi circa libros ac magistros quæ fini Ecclesiæ necessaria, ea repellendi quæ noxia existimabit; 4° reges et imperatores deponendi, si fidem catholicam subvertant.* — Nam, ex propositione III[a], jus Ecclesiæ competit ea impediendi quæ fini ipsius impedimento forent, ea exigendi quæ dictus finis requirit. Atqui : 1° dicto fini impedimento forent auctoritatis civilis leges eidem fini adversantes, ut patet. 2° Eidem Ecclesiæ fini impedimento foret typographiæ libertas, id est libertas imprimendi et propagandi quoslibet libros; siquidem, stante ista libertate, pullularent pravi libri quibus subverteretur catholica fides et morum integritas. 3° Eidem Ecclesiæ fini impedimento foret publica juvenum instructio, sive litteraria, sive scientifica, independens ab auctoritate ecclesiastica; siquidem tunc adhiberi possent libri, magistri, ac vivendi leges, quibus generationes singulæ ad respuendam catholicam fidem morumque

integritatem inducerentur. 4° Tandem eidem Ecclesiæ fini impedimento foret rex subditum sibi populum persecutionibus, violentiis, cædibus ad hæresim vel apostasiam adigens, ut patet. Ergo Ecclesiæ de facto competit jus quoad quatuor enumerata capita; necnon quoad alia quæ prætermittimus, sed quæ pariter ex natura sua Ecclesiam in finis sui prosecutione præpedirent.

Objicies cum Bossuetio. — Omnes civilis potestatis actus aliquo modo tangunt interesse animarum seu finem Ecclesiæ proprium. Igitur admittere civilis potestatis dependentiam in materiis quæ finem Ecclesiæ tangunt, est reapse illam admittere in omnibus, seu utriusque potestatis distinctionem supprimere.

Respondeo. — Distinguo antecedens : omnes potestatis civilis actus interesse animarum tangunt, vel ex natura sua, vel ob agentis intentionem, concedo : omnes ex natura sua, nego. — Quod, verbi gratia, imperator aliquis aut rex certo modo decernat de viis ferreis, de bellicorum instrumentorum forma, de exercitus tribunaliumve ordinatione, id quidem nocere potest æternæ dicti imperatoris regisve saluti, si *ex prava intentione* agat, at non *ex natura sua*. Nimirum immensa est series actuum ejusmodi quibus civilis auctoritas vel potest vel etiam debet securitati ac prosperitati publicæ consulere, et qui per se, seu ex natura sua, nequaquam animarum saluti seu fini Ecclesiæ nocent. Igitur civilis potestatis dependentiam admittere quoad casus in quibus ejus independentia fini Ecclesiæ nociva foret, non est dependentiam illam admittere *quoad omnia;* nec est proinde utriusque potestatis *distinctionem* tollere.

Propositio Vª. — *De facto Ecclesiæ competit supremum judicium de hac quæstione : an civilis potestatis agendi ratio præpediat necne proprium Ecclesiæ finem.* — Nisi enim supremum istud judicium Ecclesiæ competeret, esset vel penes potestatem civilem, vel penes aliam, vel penes neminem. At tria pos-

teriora repugnant. — Supremum istud judicium non commisit Deus potestati civili. Alioquin, hoc jure innixa, quælibet attentata sua, quantumvis catholicæ fidei ac salutis animarum subversiva, prætenderet fini Ecclesiæ nequaquam adversari, atque id supremo suo judicio definiret. Proinde civilis potestas cum ista supremi judicii prærogativa, non esset medium ad finem Ecclesiæ, sed impedimentum. Cum ergo certum sit eam a Deo constitutam fuisse tanquam medium ad finem Ecclesiæ, certum pariter est, ei collatam non fuisse dicti supremi judicii prærogativam. — Neque collata est prærogativa hæc alteri humanæ potestati; quia præter ecclesiasticam et civilem non est alia in terris humana potestas. — Sed neque admitti potest hypothesis, quod dicti supremi judicii prærogativa nemini, id est, neque societati civili neque Ecclesiæ, a Deo commissa sit. Nam si nullus extaret supremus judex hujusce quæstionis, an potestatis civilis agendi ratio fini Ecclesiæ adversetur, posset civilis potestas quælibet fidei et salutis animarum subversiva attentare, simulque prætendere his nequaquam præpediri Ecclesiæ finem. Scilicet errasset Deus, qui societatem civilem instituendo ut esset medium, eam e contra constituisset impedimentum. — Remanet dictum supremum judicium penes Ecclesiam a Deo positum. — Insuper ad Ecclesiam pertinet supremum de dogmate judicium. Atqui hæc quæstio, *an talis modus agendi potestatis civilis finem Ecclesiæ proprium impediat*, dogmatica est. Ergo ejus solutio ad Ecclesiam pertinet.

Objicies. — Sicut potestas civilis falso prætendere potest se Ecclesiæ fini non obesse, ita Ecclesia falso prætendere potest se lædi a potestate civili.

Respondeo. — Errare quidem potest civilis auctoritas quoad dictam quæstionem. Non autem Ecclesia, quia quæstio hæc ad dogma pertinet, et certa est Ecclesiæ inerrantia in definiendo dogmate. Quæ infallibilitas, præter alia quamplurima quibus nititur argumenta, inde etiam colligi potest, quod

Deus civilem societatem instituerit tanquam medium ad finem Ecclesiæ proprium. Nam si infallibilis non foret Ecclesia, non posset supremo judicio decidere an talis agendi ratio potestatis civilis Ecclesiæ finem præpediat. Et si hoc certo Ecclesia definire non posset, civilis auctoritas pro libitu erga Ecclesiam agere posset; et sequeretur civilem potestatem a Deo institutam non fuisse tanquam medium ad finem Ecclesiæ, sed tanquam impedimentum. Igitur ex finium utriusque potestatis subordinatione sequitur Ecclesiæ collatam a Deo dicti supremi et infallibilis judicii prærogativam.

Conclusio totius capitis. — *De facto Ecclesiæ a Deo collata fuisse jura quædam in rem temporalem societatum civilium, rigorose colligitur ex utriusque potestatis fine.* — Sequitur e præmissis quinque propositionibus.

CAPUT II

ARGUMENTUM EX EO QUOD REGES CHRISTIANI NON SOLUM QUOAD ACTUS VITÆ SUÆ PRIVATÆ, SED ETIAM QUOAD USUM REGIÆ POTESTATIS SPIRITUALI ROMANI PONTIFICIS REGIMINI SUBSINT, ET AB EO PUNIRI, AC ETIAM DEPONI POSSINT.

Propositio I[a]. — *Reges christiani sunt et ipsi oves relative ad summum Ecclesiæ pastorem Romanum Pontificem, et ipsius spirituali regimini subsunt.* — Hæc assertio *est de fide catholica tenenda*, prout adnotat Suarez (*Defensio* contra Anglos, l. III, c. xxi, n. 5). Etenim Papa est pastor omnium ovium Christi. Estque id dogma certissimum, quod salva fide negari non potest. « At reges christiani inter oves Christi computantur; alioqui extra ovile et extra Ecclesiam catholicam erunt; ergo etiam illorum pastor est Papa. Ergo, e converso, ipsi spirituali Pontificis potestati subjacent... Potestas data in totum ovile seu corpus, ad singulas oves seu partes extenditur. Et qua ratione illa potestas cæteros baptizatos cujuscumque inferio-

ris conditionis sub se complectitur, eadem reges etiam et imperatores comprehendit; quia nullo jure exempti sunt. Et regia dignitas cum christiana subjectione non repugnat; alias etiam cum christiana fide et professione pugnaret, cum ipsa Christi fides obedientiam hanc a suis cultoribus requirat. » (Suarez, *Defensio fidei* contra Anglos, l. III, c. xxi, n. 5.)

Propositio II^a. — *Reges christiani subsunt spirituali Romani Pontificis regimini, etiam quoad regiæ suæ potestatis usum.* — Nam huic regimini subsunt fideles atque ipsimet reges quoad *omnes actus* quibus vita æterna perdi vel comparari potest. « Unus autem ex his actibus in christiano principe, est debitus usus potestatis gubernativæ. Nam si illa non juste utatur, condemnabitur. Ergo ad pastorem spiritualem talis principis pertinet facultas dirigendi illum in usu suæ temporalis potestatis. » (Suarez, *Defensio fidei* contra Anglos, l. III, c. xxii, n. 5.) — Idem dicendum ob subditos. Nam si rex « iniqua præcipiat, vel plus quam expedit permittat subditis illicitos usus temporalium actionum vel bonorum, in magnum spirituale detrimentum subditorum cedet. Sed Pontifex tenetur habere curam spiritualem totius populi christiani subditi temporalibus regibus. Ergo in hoc munere includitur potestas avertendi a christiano populo omnia spiritualia incommoda, quæ ex abusu potestatis temporalis in illum possunt redundare. Ergo hoc etiam titulo necesse est ut potestas spiritualis principis ad temporalia indirecte extendatur; dirigendo, ubi oportuerit, potestatem temporalem, ut ita temporalia disponat, quod spiritualibus non noceant. » (Suarez, *loco cit.*, n. 6.) —Insuper, « utraque potestas temporalis et spiritualis, prout in Ecclesia existunt, ita conferri et possideri debuerunt, ut communi bono et saluti christiani populi proficiant. Ergo necessarium est ut hæ potestates aliquem ordinem inter se observent. Alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari. Nam sæpe temporalia commoda repugnant spiritualibus. Et ideo, vel erit bellum justum inter utramque potestatem, vel

necesse est alteram alteri cedere. Ergo vel potestas spiritualis erit sub temporali, vel e contrario. Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem; quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem. Ergo dicendum e contrario est, potestatem temporalem subjectam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat. Nam ita subordinantur potestates sicut et fines. Ideoque merito dixit divus Thomas (IIª IIæ, q. xl, art. 2 ad 3), bella subordinari potestati Papæ. » (Suarez, *loco cit.*, n. 7.)

Propositio IIIª. — *Auctoritas Papæ reges dirigendi quoad usum etiam regiæ suæ potestatis, non est mera facultas dandi eis consilia, eosve monendi aut rogandi; sed est auctoritas obligandi.* — Tota enim oritur ex auctoritate a Christo collata *oves et agnos pascendi.* Sane pastor, non tantum jus habet oves rogandi eisve consilia dandi, sed etiam eas coactive ducendi. Inferiores etiam, imo et minimæ vetulæ, facultatem ac jus habent in Ecclesia rogandi ac consilia dandi. Unde ad ejusmodi facultatem restringere supremam Romani Pontificis jurisdictionem, idem est ac eam negare ac supprimere. « Per potestatem enim *directivam*, inquit Suarez, non intelligimus solam potestatem consulendi, monendi, aut rogandi. Hæc enim non sunt propria *superioris potestatis.* Sed intelligimus propriam vim obligandi, et cum morali efficacia movendi, quam aliqui solent coactivam appellare. » (*Loco cit.*, n. 1.)

Propositio IVª. — *Potest Papa : 1° leges civiles, bonis moribus seu religioni noxias, irritare vel de se irritas declarare; 2° pronuntiare an bellum aliquod sit injustum, et, casu quo injustum, judicet, prohibere regi ne bellum istud inferat; 3° reges obligare ad præstandum Ecclesiæ brachii sæcularis auxilium.* —Sequitur e præcedenti propositione. Nam hæc ad usum regiæ potestatis pertinent; et ad Papam, ex dictis, spectat quoad istum usum reges dirigere; ea nempe prohibendo quæ vel ipsorum regum, vel subditorum ipsis populorum æternæ saluti obstarent. — Ad leges in particulari quod attinet. *Primo*, leges civiles de

rebus ecclesiasticis disponentes ipso jure sunt irritæ; « quia in aliena materia, inquit Suarez, et extra sphæram jurisdictionis temporalis versantur. » *Secundo* leges civiles, quarum materia, etsi sub aliquo respectu subsit potestati temporali, sub alio tamen spirituali subest, ut sunt leges circa matrimonia, circa funera, circa legata pia, et similes, « per potestatem spiritualem emendari et irritari possunt. Quia materia illa, vel est directe spiritualis, vel est mixti fori; et ideo spiritualis potestas directe circa illam versatur. Ideoque omnes leges civiles, quæ in talibus materiis versantur, si contrariæ sint juri canonico, per illud corriguntur, quia ab excellentiori potestate superantur... Et illæ solæ valorem habent, quæ leges canonicas juvant, modo eis permisso. » (Suarez, *Defensio fidei* contra Anglos, l. III, c. xxii, n. 11.) *Tertio* « quando materia legum civilium est *pure temporalis*, tunc solum indirecte corriguntur per Pontifices, quando vel peccatis favent, vel illis occasionem præbent. Ut sunt leges concedentes præscriptionem cum mala fide, quæ per canones sublatæ sunt, ut constat. Idemque est de legibus permittentibus usuras, concubinatus. Vel etiam quando sunt minus consentaneæ æquitati naturali, ut sunt leges negantes alimenta filiis spuriis... Atque, eadem servata proportione, si lex aliqua civilis ad spirituale bonum regni judicaretur conveniens, et reges in ea ferenda negligentes essent, posset Pontifex authoritate sua illam ferre; ut fecit Pius V, dando formam constituendi census, quæ materia satis temporalis est. Forma autem visa est conveniens ad pericula usurarum vitanda, et ita intervenit eadem ratio indirectæ potestatis. » (Suarez, *loco cit.*, n. 12.) — Quod possit Papa regibus interdicere ne bellum injustum inferant, « res est per se evidens, ait Suarez; quia, ut dixit Innocentius tertius (in capite *Novit*, *de judiciis*) cohibere peccata proprium est spiritualis potestatis. Et maxime ad id tenetur quando sunt publice nociva et contra commune bonum. Sed talis est abusus ille potestatis regiæ ad nocendum et in-

justum bellum inferendum; ergo sine dubio in hoc subditur rex Pontifici, qui ei possit talem potestatis suæ usum prohibere. » (Suarez, ibid., n. 15.) — Tandem potest Papa exigere a regibus auxilium brachii sæcularis, ad Ecclesiæ defensionem necessarium. « Probatur quia principes christiani, vel ex officio suo, vel ex justitia quadam legali qua membrum reipublicæ illi subvenire obligatur, vel ex charitate christiana, Ecclesiam defendere eique auxilium conferre tenentur. Ergo, necessitate vel causa exigente, potest Pontifex, ut spiritualis pastor tam universalis Ecclesiæ quam ipsorum principum, eos movere ad usum potestatis suæ, eos excitando, et obligando per imperium... Unde Leo Papa, epistola 75 ad Leonem augustum : *Debes*, inquit, *incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen*, *sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam*... Unde concilium Parisiense, sub Ludovico et Lothario : *Rex*, inquit, *primo defensor esse debet Ecclesiæ*... » (Suarez, ibid., n. 16.)

Propositio V^{a}. — *Reges per suum gubernandi modum Ecclesiæ noxios potest Romanus Pontifex excommunicatione coercere*, *ac etiam (si causa subsit) regno privare. Remissive.* — Id ex professo probat Suarez in supra citata *Defensione fidei* contra Anglos, l. III, cap. xxiii.

CAPUT III

ARGUMENTUM E MATERIIS MIXTIS, SEU QUÆ UTRIUSQUE SIMUL POTESTATIS INTERESSE AC FINEM TANGUNT (REMISSIVE).

Argumentum istud evolutum reperies in meo tractatu *de Jure liturgico* (parte II, sect. ii, cap. iii, prop. V).

SECTIO VII

QUALIS SIT ECCLESIA POTESTAS IN REM TEMPORALEM STATUUM, ID EST, DIRECTANE AN INDIRECTA

Præcedentium sectionum scopus fuit Ecclesiæ ac Romano Pontifici vindicare veram in rem temporalem statuum potestatem; qua reges etiam jure deponi possint justa de causa, id est, si finem Ecclesiæ proprium impediant. Neque id mera opinio est, sed doctrina certa, omnino tenenda, et quæ sine temeritate, quidquid in contrarium gallicani recentiorum temporum theologi effutiant, negari non potest. Ast in præsenti quæstione, *qualis sit* dicta potestas, an scilicet, et quo sensu vocari debeat *directa* vel *indirecta*, dantur variæ opiniones, quas liberæ scholarum disputationi Ecclesia hucusque reliquit. De iis nunc breviter disserendum.

§ 1. — De prima sententia, quæ *directam* Ecclesiæ tribuit potestatem in rem temporalem statuum.

I. *Exponitur*. — Illam describit Suarez hoc modo : « Fuit itaque quorumdam catholicorum, præsertim jurisperitorum sententia... in universa Ecclesia catholica unum tantum esse supremum principem temporalem, habentem per se et directe supremam potestatem civilem in universam Ecclesiam, eumque esse summum Pontificem ex Christi institutione. Unde consequenter collegere, nullam rempublicam, nullum regem

aut imperatorem habere supremam potestatem in temporalibus, quia non possunt esse duo suprema capita in eodem ordine. Igitur si Pontifex habet supremam potestatem directe ac per se, necesse est ut in reliquis omnibus principibus temporalibus non sit suprema potestas, quia nullus erit qui superiorem in temporalibus non recognoscat. Imo aliqui etiam addunt, omnia jura regnorum et dominia Petro collata esse tanquam Christi vicario, et ita Romanum pontificem in illo jure succedere; ideoque supremam potestatem civilem in habitu (ut ipsi loquuntur) solum esse in Pontifice; quamvis per alios reges ex tacita vel expressa concessione illam administret. Ita loquuntur præcipui ex antiquis juris Pontificii interpretibus, Glossa, Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, Panormitanus, Felinus et Decius... Et ex interpretibus juris Cæsarei, Bortholus, Oldradus, Paulus de Castro, et alii quos Navarrus et Covarruvias infra citandi referunt. Quibus accessit divus Antoninus (IIIª part., tit. XXII, c. v, § 13 et 17), Alvarus Pelagius, et Augustinus de Ancona[1], cum aliis multis a prædictis relatis. » (*Defensio fidei* contra Anglos, lib. III, cap. v, n. 4.) Supremam potestatem civilem ita *Romano* Pontifici competere, ut « per alios reges *ex tacita vel expressâ concessione* administret, » si qui directæ potestatis propugnatores dixerint, at perpauci, ni fallor. Communis mihi potius videtur eorum doctrina, de attributa principibus *immediata* supremæ potestatis civilis *executione, ab ipsomet Christo Domino*. Docent nempe voluisse Christum, ut supremam potestatem temporalem, quam suo in terris vicario simul cum spirituali contulit, is per se ordinarie non exerceret; sed immediatam ejus administrationem regibus aliisque principibus relinqueret. Ne scilicet a principali missione sua averteretur. Pro quo adducere solent dictum Apostoli : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Unde nequit

[1] In Beatorum album relatus est Augustinus Triumphus, qui et Augustinus de Ancona frequenter vocatur.

legitime Pontifex in hæc sæcularia negotia intervenire, nisi exceptionaliter, si causa religionis exposcat. Notet autem lector præcipua expositæ sententiæ placita, videlicet :

1° Ad Papam pertinet reges, aliosve societatum civilium rectores deponere, si perperam officio suo fungantur. Nec tantum ob rationes mox sub secunda sententia exponendas, sed insuper ex eo quod non sint nisi ministri jurisdictionis ecclesiasticæ.

2° Duo gladii de quibus in evangelio intelligendi sunt de utraque potestate, ecclesiastica nempe ac civili. Uterque Petro datus. Sed de gladio quo significatur potestas civilis, dicit Christus : Converte gladium tuum in vaginam; quia nempe gladius iste non est exerendus ipsa manu Pontificis, sed manu militis, licet ad nutum Pontificis; id est, civilis potestas, licet sit penes Romanum Pontificem quoad jurisdictionem, non tamen est penes ipsum quoad immediatam executionem.

3° Ecclesia quam instituit Christus constat simul religiosa et civili christianorum societate. Et sicut anima et corpus efficiunt hominem, ita religiosa et civilis potestas efficiunt regnum Christi seu Ecclesiam. Toti autem huic regno præfecit Christus Petrum, et unumquemque ipsius pro tempore successorem Romanum Pontificem. Noluit tamen suum in terris vicarium immediate per seipsum res civilis societatis administrare; sed sub eo ad id constitui reges aliosve societatum civilium rectores, qui proprio nomine rem temporalem regerent; a Papa tamen si male agant corrigendi aut etiam deponendi.

II. *Quinam doctores huic primæ sententiæ adhæsisse videantur.* — 1° Consonare videtur sanctus Bernardus (vide textus supra, sect. I, § 1). Aperte siquidem per gladium quem Petrus jussus est reponere in vaginam intelligit potestatem in temporalia; et quinquies asserit ad Petrum seu Romanum Pontificem pertinere hunc etiam gladium; licet non exerendus sit manu Pontificis, sed manu militis; ad nutum tamen Pontificis. Intelli-

gebat nempe a Christo collatam Romanis Pontificibus utramque potestatem; ita tamen ut deberent (ordinarie seu extra urgentis necessitatis casum) potestatem in societatum civilium temporalia non immediate per semetipsos exercere, sed regibus et principibus exercendam relinquere. Quæ ipsius mens adhuc satis patet ubi loquens de discipuli sui, Eugenii III, assumptione ad summum Pontificatum, dicit eum *assumi ad præsidendum principibus, ad imperandum Episcopis, ad regna et imperia disponenda*. Multi tamen et gravissimi doctores S. Bernardum interpretantur in sensu secundæ sententiæ mox exponendæ, id est, in sensu potestatis *indirectæ*. Quibus nolim absolute contradicere; sed fateor mihi videri sanctissimo viro potius tribuendam sententiam primam. — 2° Adscribenda etiam videtur prima sententia Beato Petro Cluniacensi (vide textus supra, sect. I, § 2). Docet nempe collatum Ecclesiæ super ipsos etiam reges et imperatores *imperium;* et constitutam eam *super gentes et regna* ut evellat et destruat et disperdat et dissipet et ædificet et plantet. — 3° Item cum prima sententia quadrare videtur doctrina Hugonis a Sancto Victore (vide textum supra, sect. I, § 4). — 4° Item Alexander de Ales (ibid., § 5). — 5° Item S. Thomas (vide textus supra, sect. I, § 7). — 6° Item ac præcipue Beatus Augustinus de Ancona (vide textus, ibid., § 8). — 7° Item Durandus a Sancto Porciano (vide textum, ibid., § 9, n. 6). — 8° Item Petrus Bertrandus (vide textum, ibid., n. 7). — 9° Item Joannes Quintinus Hæduus, qui obiit anno 1561 (vide textum, ibid., n. 17). — 10° Generaliter « *præcipui* ex antiquis juris Pontificii interpretibus, » prout fatetur Suarez, etsi primæ huic sententiæ adversetur.

III. *Quid de prima ista sententia videatur.* — 1° Non repugnat Christum ita Ecclesiam suam instituisse. Equidem etiam possibile percipitur quod Ecclesiam juxta secundam sententiam instituerit; sed nec impossibile percipitur quod instituerit juxta primam; nempe quod ambas potestates Romano Pontifici contulerit, cum ea conditione ut civilem regibus et prin-

cipibus exercendam ordinarie relinqueret. Immo id divina Christi erga Ecclesiam munificentia dignius videtur.— 2° Nec erronea peremptorie probatur prima illa sententia e traditione Patrum sancto Bernardo anteriorum. Nam ad textus qui *distinctas* ambas potestates asserunt, respondetur distinctas etiam esse et dici posse juxta primam sententiam; siquidem immediata executio seu administratio rei temporalis pertinet ad Cæsarem, non ad Papam. Etiam textus Patrum, quibus dicitur sacerdotes Cæsari subjici debere in temporalibus, Cæsarem vero sacerdotibus quoad res ecclesiasticas, in sensu primæ sententiæ intelligi possunt. Quum nempe ad Cæsarem pertineat immediata societatis civilis administratio, tenentur alii præter Papam sacerdotes huic administrationi sese subjicere. Et quamvis Papa non sit eidem Cæsaris administrationi subjectus ratione jurisdictionis (siquidem etiam in his temporalibus, juxta primam sententiam superior est ejus jurisdictio), tamen directive tenetur dictæ administrationi sese subjicere, sicut et propriis suis legibus, quando ex Cæsareis statutis nihil in Ecclesiam detrimenti redundat. Dicti tamen veterum Patrum textus videntur ad sensum secundæ sententiæ facilius aptari.— 3° Propugnata fuisse videtur prima sententia, non tanquam ex obligatione tenenda doctrina, sed solum tanquam opinio inter doctores catholicos disputata. Adeat, verbi gratia, lector præcipuum primæ sententiæ defensorem, Beatum Augustinum de Ancona, qui mihi videtur dictam metam non excessisse. — 4° Ingenue fateor mihi evidentem non esse primæ hujus sententiæ falsitatem. Imo gravissimam existimo, tum in se spectatam, tum etiam ratione auctoritatis; eoque diligentius a theologis expendendam, quod posterior de *indirecta* potestate opinio, nonnisi post exortum protestantismum prævalere cœperit.

§ 2. — De secunda sententia, quæ propugnat *indirectam* solummodo potestatem, quæ tamen per actus etiam temporales exerceri valeat.

I. *Exponitur.* — 1° Instituta immediate a Deo spiritualis potestas quæ Ecclesiam regat. Instituta et temporalis auctoritas ad civilis societatis regimen. Ecclesiam non instituit Christus ad hunc finem ut societates civiles regeret; nec ei proinde competit *directa* potestas in rem temporalem statuum. At quia Christus civilis societatis finem subordinavit fini Ecclesiæ proprio, potest Ecclesia in re temporali statuum ordinare quæ necessaria sunt ut finem suum spiritualem, salutem animarum, convenienter prosequi et attingere valeat. Quæ potestas, cum non proveniat e missione gubernandi temporalia, sed ex officio promovendi spiritualia, *indirecta* dicitur. — 2° Licet autem indirecta sit, seu ratione solius finis spiritualis, exerceri tamen potest per actus ordinis temporalis, verbi gratia, legem aliquam civilem annullando, depositionis sententiam in aliquem regem pronuntiando, et hujusmodi; non autem restringitur ad solos actus ordinis spiritualis, quales sunt, regem excommunicare ac excommunicatum vitandum denuntiare, declarare jam non teneri ejus subditos ad præstandam ipsi obedientiam, legitime a civibus regi excommunicato alium substitui posse, etc. Equidem Bellarminus, Suarez ac alii præcipui *indirectæ* potestatis defensores, adeo certum supposuerunt, eam per dictos temporales actus exerceri posse, ut ne in quæstionem quidem id vocaverint. At recentiores nonnulli subtiliter excogitarunt defendi posse *indirectam* in temporalia potestatem, quæ ad solos actus spirituales restringeretur. Dicunt nempe plures actus spirituales, ex natura sua, varios in re temporali statuum effectus secum trahere. Verbi gratia, decisio hujus casus conscientiæ, *talem populum jam non constringi juramento fidelitatis erga regem suum*, est actus potestatis spiritualis; et tamen ex eo, datis certis circumstantiis, sequetur dicti regis ejectio et alterius electio. Unde licet

auctoritas ecclesiastica hos tantum spirituales actus exercere possit, *indirecte* tamen vera in rem temporalem statuum potestate potietur. Quæ opinio valde differt a doctrina Suaresii et aliorum præcipuorum *indirectæ* potestatis propugnatorum. Et ideo illam distinguendam et tertio loco ponendam duximus.

II. *Quinam doctores secundam sententiam propugnaverint.* — Respondeo breviter : ante protestantismum fere nulli; paulo ante Bellarminum et Suaresium pauci; post Suaresium paulatim fere omnes. Quod tamen non affirmo absolute; quia nec satis diligenter, nec sat magno numero horum temporum scripta theologica pervolvi. Interim lectorem remitto ad clarissimum Suaresium. (*Defensio fidei* contra Anglos.)

III. *Quid de illa secunda sententia videatur.* — Magnam sane auctoritatem consecuta est ex Suaresio ac secutis fere omnibus doctoribus. — Quod dixere priorum sæculorum Patres de institutis a Deo duabus potestatibus, et de subjectionis debito quod agnoscunt Episcopi erga principes in re temporali, difficilius cum prima, facilius cum hac secunda sententia componi videtur. — Attendenda etiam hæc argumentatio : non censendus est Christus Ecclesiæ suæ plus potestatis in temporalia concessisse, quam requirebat spiritualis ejus finis; sed ad istum finem sufficit *indirecta* potestas; ergo censendus est Christus solam indirectam contulisse. — Insuper apud principes infideles, hæreticos, ac etiam catholicos si pravi sint, secunda sententia minorem invidiam conflat quam prima.

§ 3. — De tertia sententia, quæ propugnat *indirectam* potestatem per solos *spirituales* actus.

I. *Exponitur.* — Prout jam supra diximus, concordat cum secunda sententia, in eo quod Ecclesiæ non vindicet potestatem in temporalia, nisi ratione missionis suæ ad regenda spiritualia, ac proinde nisi indirecte. Ast ab ea differt in eo quod indirectam illam potestatem totam concludat in exercendis jurisdictionis spiritualis actibus; qui nempe actus rem tem-

poralem statuum pro objecto immediate non habent, sed tamen consectaria secum trahunt rem illam temporalem afficientia. Verbi gratia, nequit Romanus Pontifex per depositionis sententiam regem aliquem exauctorare, quia res temporalis statuum sub jurisdictionem ejus directe non cadit; sed potest regem excommunicare ac vitandum denuntiare, necnon declarare jam non teneri ejus subditos ad præstandum ei obsequium. Ex quibus actibus, licet circa materiam mere ecclesiasticam versantibus, sequetur quoad illum principem regiæ dignitatis amissio.

II. *Quinam auctores tertiam illam sententiam propugnent.* — An quis ex professo eam propugnaverit, mihi non satis compertum. Sed apud eos qui indirectam Ecclesiæ potestatem tribuunt, nonnulla vidi ad hunc tertium intelligendi modum accedentia. Quapropter et de tertia ista sententia mentionem feci.

III. *Quid de hac sententia videatur.* — Erroneam existimo. Hoc ipso enim quod Christus civilem societatem non instituerit nisi tanquam medium ad finem Ecclesiæ proprium, ut supra probavimus, voluit ab Ecclesia corrigi posse in re temporali statuum quidquid dictum finem præpediret. Et utique corrigi per actus rem illam temporalem directe afficientibus. Utquid enim Christus voluisset Ecclesiam non posse sese defendere nisi per ambages, id est, per potestatis spiritualis actus, qui effectum in re temporali statuum secum traherent? — Præterea rejiciendam illam sententiam probat Romanorum Pontificum et conciliorum praxis. Nam statuerunt de re temporali statuum, etiam per temporales actus, quando et in quantum requiri existimarunt ad finem Ecclesiæ proprium, salutem animarum. Verbi gratia, non tantum procurarunt reges ditionibus suis privari eos excommunicando, et tanquam casum concientiæ decidendo jam non teneri eorum subditos ad præstandum istis excommunicatis obsequium, sed insuper auctoritative pronuntiarunt depositionis sententias, et subditos ab obedientiæ debito absolverunt.

PARS V

DE POTESTATE PAPÆ SUPRA CANONES, ET ALIIS EJUS E JURE DIVINO PRÆROGATIVIS

Romani Pontificis supra canones potestas ex ejus supra concilium œcumenicum auctoritate necessario ac evidenter consequitur. Hinc potuisset lector, quoad illam prærogativam, remitti ad *tertiam* hujusce tractatus partem, qua Papam generali concilio superiorem probavimus. Quia tamen dictæ prærogativæ negatio unus fuit e quatuor infaustis articulis gallicanis anni 1682, et ut, seorsim expensa quæstione, facilius pateat lugendus ille gallicanorum theologorum error, Pontifici supra canones auctoritatem breviter primo paragrapho vindicabimus. Sequentibus autem paragraphis alias ipsius e jure divino prærogativas exponemus.

§ 1. — Romano Pontifici competit jure divino potestas supra canones.

Canonum vocabulo intelligi solent, decreta seu leges tum Romanorum Pontificum, tum etiam generalium conciliorum. Cum autem apud theologos canonistasve expenditur quæstio an Papa sit supra canones, non agitur de canonibus seu decretis dogmaticis, sed dumtaxat de canonibus *in materia disciplinæ*, et quæritur an stet penes Romanum Pontificem potestas ejusmodi canones disciplinares, tum prædecessorum suorum, tum etiam generalium conciliorum abrogandi, aut in eis dispensandi. Et gallicani quidem systematis sequaces

potestatem hanc Papæ non denegant quoad canones ab ipsius prædecessoribus editos, sed dumtaxat quoad canones a generali concilio vel per generalem Ecclesiæ praxim firmatos. Quo prænotato, sit :

Propositio I[a]. — *Papa est supra canones a prædecessoribus suis conditos.* — De fide est potestatem Petro datam, universam Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi, in successores ejus Romanos Pontifices integram atque æqualem transire, et usque ad finem mundi transituram (vide probatum supra, parte I, sectione II, cap. VIII; et sectione III, cap. XII). — Ergo quilibet pro tempore Ecclesiam gubernans Romanus Pontifex, eamdem omnino potestatem habet quam habuerunt antecessores sui. Atqui non eamdem haberet, sed inferiorem, si legem quam tulit aliquis ex antecessoribus circa res disciplinæ mutabiles, ipse non posset immutare aut abrogare; ergo nullus est canon circa disciplinam mutabilem ab aliquo Papa statutus, qui non possit, suadente temporum et circumstantiarum diversitate, a successoribus immutari atque abrogari.

Idem probari posset ex perpetua Ecclesiæ praxi. Sed illa thesis a nullo negatur. Apud omnes siquidem in confesso est, sicut rex prædecessoris sui leges, et quilibet Episcopus anteriorum in eadem sede præsulum statuta, mutare potest, ita quemlibet Romanum Pontificem ad immutanda prædecessorum decreta potestatem habere.

Propositio II[a]. — *Papa est supra canones a concilio-sine-Papa conditos.* — Prout supra, sub tertiæ partis initium monuimus, conferri potest Romani Pontificis auctoritas sive cum concilio cujus decretis non accessit Papæ assensus, sive cum concilio cujus decreta Romani Pontificis assensu roborata sunt. Prius *concilium-sine-Papa*, posterius *concilium-cum-Papa* vocavimus. Gallicani autem systematis sequaces Romanum Pontificem concilio inferiorem propugnarunt; atque id etiam de *concilio-sine-Papa* intellexerunt, licet tale concilium nunquam esse possit stricto sensu generale seu œcumenicum. Contra quem

lugendum errorem tota sectione secunda partis tertiæ Romano Pontifici vindicavimus auctoritatem supra *concilium-sine-Papa*. Ex qua sectione simul probata remanet Papæ auctoritas supra canones a concilio-sine-Papa conditos. Insuper sequenti sectione, capite II, eadem Romani Pontificis superioritas probatur in particulari quoad disciplinares conciliisine-Papa canones.

PROPOSITIO III^a. — *Papa est supra canones a concilio-cum-Papa conditos.* — Id probatum vide supra, parte tertia, sectione quinta, propositione quarta.

PROPOSITIO IV^a. — *Papa est supra canones per generalem Ecclesiæ dispersæ acceptationem et praxim firmatos.* — Nam major non est auctoritas Ecclesiæ dispersæ, quàm Ecclesiæ in concilio œcumenico congregatæ. Sed, ex dictis, Papa est supra canones a concilio œcumenico editos; ergo et supra canones ab Ecclesia dispersa receptos. Igitur circumstantia hæc, quod aliqui disciplinæ canones in generalem a multo tempore ecclesiarum praxim transierint, id tantum efficere potest, ut Papa, vi juris naturalis, licite nequeat eos abrogare vel in eis dispensare, nisi gravissimis de causis. Enimvero generalis et antiquæ disciplinæ immutatio, nisi prudenter et gravissimis ex causis fieret, fideles conturbaret et in animarum damnum cederet; quod profecto, de jure naturali, summus Pontifex vitare tenetur.

PROPOSITIO V^a. — *Papam esse supra canones confirmat Ecclesiæ praxis.* — I. Antiquis canonibus et communi disciplina jubebantur clerici ab Episcopo quique suo, et Episcopi a Metropolitano formatas litteras accipere, quando volebant a diœcesi peregrinari. Porro Zozimus Papa legem illam quoad Ecclesias Galliæ mutavit, ita statuens : *Placuit apostolicæ sedi, ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu, ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis episcopi formatas acceperit* (epistolæ R. P., editæ a D. Cou-

stant, t. I, col. 935). Ergo Zozimus Papa existimavit sibi datam esse potestatem supra canones etiam conciliares. Et notetur non parvi momenti fuisse hanc canonum immutationem, qua obligati sunt tum clerici, tum Episcopi, tum Archiepiscopi omnes Galliarum, ad obtinendas litteras a præsule Arelatensi (qui tunc vicarius sanctæ sedis pro tota Gallia constitutus fuerat), quoties vellent extra Galliam iter suscipere. Id autem statuit dictus Pontifex, non quia placuit alicui concilio œcumenico, sed quia *placuit apostolicæ sedi.*

II. Symmachus Papa in synodo Romana VI, anno 504 (Labbe, t. IV, col. 1371) : *Nos enim et apostolicæ sedis moderamine compellimur et ecclesiasticarum rerum dispositione constringimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum antecessorumque nostrorum decreta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda exposcit, adhibita diligenti consideratione, quantum fieri potest auxiliante Domino temperemus.*

III. S. Symmachus Papa ad S. Avitum Episcopum Viennensem : *Quod fit præter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a patribus statuta diligenti observatione et observanti diligentia sint custodienda; nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videretur : quoniam leges ea intentione latæ sunt ut proficiant, non ut noceant.* (Labbe, t. IV, epist. XII, col. 1312.)

IV. Sub finem sæculi IV Episcopi Africæ recurrerunt ad S. Anastasium Papam, ut mutaretur quoad ipsos lex quædam a concilio *transmarino*, ut ipsi dicunt, id est Romano, lata. Eorum epistolam vide apud Coustant, col. 3734.

V. Initio ejusdem sæculi IV S. Melchiades Papa pariter immutavit pristinum canonem de non servando gradus honore iis episcopis, qui in schisma lapsi postea ad unitatem reverte-

bantur. Quod factum his verbis memorat Coustant (p. 3734) : *Iste prudentissimus Papa schismatis radicitus extirpandi gratia constituerat, ut in his locis in quibus duo erant Episcopi, unus schismaticus, alter catholicus, ille confirmaretur qui fuisset ordinatus prior, et alteri plebs alia regenda provideretur. Sed ubi erat unitatis compensatio, lex pristina de non servandis honoribus, ut in Innocentio aliisque pontificibus visuri sumus, integra illibataque permansit.*

VI. Sanctus Gregorius Magnus dispensavit cum Siculis quoad canonem 5 concilii Nicæni, præcipientem bis in anno concilia celebrari.

Propositio VI[a]. — *Tenetur aliquo vero sensu Romanus Pontifex ad observantiam canonum, licet potestatem habeat illos immutandi.* — Duplici titulo omnino diverso intelligi potest obligatio Romano Pontifici incumbens servandi canones : id est vel quia ipse est subjectus legi et potestati qui legem tulit, vel quia licet non sit subjectus, tenetur tamen, ad dandum bonum exemplum et ad vitanda immutationum nocumenta, canones firmiter servare ubi non urget mutationis necessitas vel utilitas. Porro jam probatum est nullo modo Romano Pontifici incumbere obligationem, in priori sensu intellectam, servandi canones. At vero obligationem in secundo sensu esse affirmandam, et ratio dictat et persæpe Pontifices ipsi proclamarunt, ut in sequenti propositione ostendetur. Unde quæstio de Romano Pontifice quoad canones ejusdem naturæ est ac quæstio de supremo principe temporali quoad leges. Hoc ipso quod princeps temporalis sit suprema auctoritas, leges vel a se vel a prædecessoribus latas valide mutare potest, nec eis legibus tanquam subditus constringitur. Cum tamen mutatio legum absque rationabili causa nociva sit, et nocivum pariter exemplum principis leges non servantis, oritur ex altiori jure, nempe naturali seu divino, obligatio principem adstringens ad legum jam vigentium observantiam, extra casum necessitariæ aut utilis mutationis. De quo jure Valentinianum monebat

sanctus Ambrosius (epist. xxxii), dicens a principe fieri deberi leges *quas primus ipse custodiat.* In Ecclesia autem magis adhuc nociva foret frequens et non utilis a Romano Pontifice canonum seu legum ecclesiasticarum immutatio, ut satis patet; et hinc est, ipsum multo graviori obligatione constringi ad perpetuo firmandas et in suo robore retinendas prædictas leges, sive quas ipse tulerit, sive quas sanxerint prædecessores sui aut concilia œcumenica. Peccabit ergo et officio suo supremi pastoris deerit, si canones disciplinam mutabilem respicientes extra casum necessitatis aut utilitatis abroget, aut si ipse, qui forma gregis esse debet, eosdem non servet. Quia vero illis non subjicitur, nec deest abrogandi potestas, valebit abrogatio. Ergo obligatio qua vere et in vero sensu tenetur Romanus Pontifex ad observantiam canonum, nullatenus obest quin ipsi vere etiam competat potestas eosdem moderandi atque abrogandi. Cæterum idem servata proportione dicendum de episcopo quoad statuta diœcesis tum ab ipso, tum a decessoribus promulgatæ; quæ scilicet mutari utique possunt si potestatem legislativam Episcopi spectes, non tamen licite mutabuntur absque rationabili causa, quamvis certo valida sit mutatio.

Propositio VII^a. — *Auctoritates quas Gallicani urgent tanquam præcipuas ad probandum Romanum Pontificem subjici canonibus, nec posse ab ipso canones conciliares abrogari, eorum intentum nequaquam probant.* — Gallicani videlicet systematis defensores summo verborum apparatu, et quasi de certa jam victoria freti, sequentes textus in medium adducere solent :

1° Innocentius I ad clerum Constantinopolitanum : *Longe præstiterit vel ea condemnare quæ recte facta sunt, quam ea robur ullum sortiri quæ adversus canones gesta sunt.* (Apud Sozomenum, l. VIII, c. xvi.)

2° Professio fidei Romanorum Pontificum, juxta antiquissimam formulam quæ reperitur in *libro diurno : Nihil de traditione quod a probatissimis prædecessoribus meis servatum re-*

peri, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer ut vere eorum discipulus et sequipeda, totis viribus meis conatibusque tradita conservare ac venerari; si qua vero emerserint contra disciplinam canonicam emendare, sacrosque canones et constituta pontificum nostrorum ut divina et cœlestia mandata custodire; utpote tibi, beate Petre, redditurum me sciens de omnibus quæ profiteor districtam in divino judicio rationem, cujus locum divina dignatione perago.

3° Zozimus Papa ad Episcopos Africæ, Galliæ et Hispaniæ (epist. VII) : *Cum adversus Patrum statuta venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed quodammodo et Catholicæ irrogatur injuria.* — Idem (epist. V) : *Contra statuta Patrum, et sancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac sede directus est, concedere vel mutare, ne hujus quidem sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.*

4° Martinus I (epist. XI): *Canones ecclesiasticos solvere non possumus, quia defensores et custodes canonum sumus, non transgressores.*

Porro ex hujusmodi monumentis quid sequi volunt gallicanismi Patroni? Teneri Romanos Pontifices ad firmiter servandos canones? Ast illud non tantum admittimus, sed in propositione sexta modo ipsi probavimus : excipiendo tamen casum necessitatis vel utilitatis, mutationem aliquam suadentis. Quæstio non est utrum Romanus Pontifex teneatur servare canones, sed an sit subjectus canonibus, ita ut invalida sit eorum immutatio aut abrogatio a Romana sede facta. Porro allati textus exprimunt tantum summam illam obligationem qua tenentur Romani Pontifices leges ecclesiasticas firmas retinere et observandas urgere, quoties non occurrit eas moderandi necessitas. Quæ obligatio, cum inde oriatur quod alias magnum pateretur Ecclesia detrimentum, est juris naturalis et divini; quam proinde tollere, ut dicit Zozimus Papa,

ne hujus quidem sedis possit auctoritas. Et certe jus naturale et divinum mutari a Sancta Sede nequit. Episcopus etiam, quando non urget aliqua necessitas vel utilitas mutandi suorum decessorum statuta diœcesana, ita ut ex tali immutatione secutura esset tantum nociva turbatio, bene posset mutationem flagitantibus respondere : *Non possum.* Quis autem illud *Non possum* intelligeret de sufficientis potestatis legislativæ defectu? Non potest utique licite; non potest eo sensu quod non debeat. Et eodem sensu, quamvis ex multo majori ratione, dicunt quoad sensum in citatis textibus Romani Pontifices, *Non possumus*, quia scilicet non recte ageremus. Adde multos esse canones qui, utpote cum dogmate connexi, nec a Papa nec a concilio œcumenico valent ullo modo immutari. De quo sic disserit eruditus Zaccaria (*Dissertat. sulla mutabilità della disciplina*, p. 81, edit. Faenza, 1787) :

« Citata testimonia non probant summos Pontifices non potuisse absolute derogare canonibus; sed tantum probant hanc eorum auctoritatem arctari ex summa convenientia et gravibus rationibus, quæ urgent ut canones illæsi serventur. Et revera, generaliter loquendo, multi canones continent statuta juris divini, vel quæ jure divino fundantur : in talia porro nullam extendi quantumlibet sacram terrenam potestatem certum est. Et ideo S. Zozimus post supra citata verba (ex epist. VII) subjungit : *Quid enim tam sanctum ac venerabile est quam penitus non exorbitare ab itinere majorum, quorum canonica instituta velut quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus.* Sunt præterea canones quos Ecclesia habuit tanquam a Spiritu sancto dictatos. Tales fuere Nicæni. Unde S. Leo Magnus firmiter recusavit admittere canonem quemdam Chalcedonensem, utpote Nicænis contrarium : *Tanquam refutari nequeat* (inquit in Epist. ad Anatolium) *quod illicita voluerit multitudo, et illa Nicænorum canonum per spiritum vere sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis.* Et iterum in Epistola ad Maximum Antiochenum episcopum :

Tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt a sanctis patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliqua novitate violari.

« Alia autem ratio maxime valebat apud Romanos Pontifices, ut canones summa cura custodirent. Ipsi nempe canonum custodes cum sint et vindices cæteris diligentiori observantia præire debent. *Confidimus*, aiebat Gelasius Papa (epist. ad Episc. Dard.), *quod nullus jam veraciter christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere* (ex convenientia et ob bonum exemplum) *quam primam, quæ unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit.*

« Ergo tenentur et Romani Pontifices canones observare : ast unde illis obligatio hæc? Non ex vi ipsorum canonum, prout necesse foret ut dici possent subjecti canonibus; ast ex æquitate naturali et ex divina ordinatione, quæ a quolibet principe, maxime vero a summis Pontificibus requirit ut sint justi et justitiæ exemplo populo præluceant. Quod est dicere, tam Romanos antistites legibus ecclesiasticæ disciplinæ, quam principes legibus regni sui teneri, non ipsarum legum potestate coactiva, sed directiva. Quod cum principes legibus subjectos non faciat, cur subjiciet canonibus Romanos Pontifices? »

Non parum etiam hallucinantur nonnulli gallicanæ opinionis sequaces qui, quoties in monumentis ecclesiasticis occurrit *canonum* vox, illam de conciliaribus tantum decretis, non autem de Pontificum Romanorum constitutionibus intelligunt. Apud eruditos siquidem explorata res est per eam vocem designatas præcipue fuisse antiquitus pontificias leges.

Propositio VIII[a]. — *Papæ competere potestatem supra canones eo sensu quod dispensare valeat in statutis universalis Ecclesiæ, est de fide.* — Etenim anno 1489 Sixtus Papa IV tanquam *hæreticam* damnavit propositionem hanc Petri de Osma : *Papa non*

potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ. Insuper a Leone X damnata est hæc XXVI[a] Lutheri propositio : *Verbum Christi ad Petrum*, Quodcumque solveris super terram, *etc.*, *extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.* — Idem colligitur e verbis Christi ad Petrum : *Quodcumque solveris...* Qui enim potestatem accepit *quodcumque* solvendi et ligandi, procul dubio jus etiam accepit in disciplinaribus Ecclesiæ legibus dispensandi. Et aliunde certum est collatam Petro regiminis potestatem, ad successores ejus Romanos Pontifices transisse. — Idem colligitur ex praxi, quam testantur facta superius relata, propositione V. — Idem colligitur ex eo quod Romano Pontifici competat primatus jurisdictionis, monarchica et suprema regiminis potestas. Hoc ipso enim potest Papa id omne quod est Ecclesiæ necessarium aut utile. Porro quandoque disciplinæ leges, ob mutatas temporum circumstantias, jam nocivæ forent, nisi abrogarentur, vel ex parte mutarentur, vel in eis dispensaretur.

§ 2. — Aliæ præcipuæ Romani Pontificis e jure divino prærogativæ.

Hactenus prærogativis quinque a Christo Domino donatum Romanum Episcopum probavimus, videlicet : primatu jurisdictionis, infallibilitate, auctoritate supra concilia, auctoritate in rem temporalem statuum, et auctoritate supra canones. Nunc sub præsenti paragrapho in unum colligendæ, ac breviter probandæ visæ sunt præcipuæ quædam aliæ; ad pleniorem scilicet notionem mirabilis illius potestatis, qua Christus Dominus pollere suum in terris vicarium voluit.

Prærogativa I[a]. — *Romanus Pontifex est, jure divino, totius catholicæ unitatis centrum.* — Vide probatum supra, parte I, sectione IV, capite IV.

Prærogativa II[a]. — *Romanus Pontifex est, jure divino, universalis Ecclesiæ monarcha in proprio ac stricto sensu.* — Vide probatum supra, parte I, sect. IV, cap. V.

Prærogativa III[a]. — *Romano Pontifici jure divino competit*

potestas condendi leges seu decreta fidei et morum, quæ cunctas ecclesias constringant. —Vide probatum supra, parte I, sect. IV, cap. V.

PRÆROGATIVA IV^a. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas, censuris, excommunicationibus, aliisque pœnis animadvertendi in eos qui leges ipsius transgrediuntur.* — Constat : 1° verbis Christi ad Petrum, *quodcumque ligaveris*, etc. Qui habet potestatem ligandi *quodcumque*, habet hoc ipso potestatem ligandi seu obligandi per censuras, excommunicationes, aliasque pœnas. Hæc autem potestas in Romanos Pontifices, Petri successores, transivit. — Constat : 2° praxi Romanorum Pontificum. Enimvero ejusmodi censuras ac pœnas edixerunt; iisque tanquam sanctione leges suas, decreta fidei, propositionumque condemnationes communiverunt. Quæ praxis per totam sæculorum seriem constans perduravit. De quo ut nonnulla priorum sæculorum facta commemoremus, Victor Papa I quartodecimanos asiaticos, teste Eusebio, excommunicavit; vel potius (ut alii existimant), excommunicationem comminatus est, aut etiam tulit, sed deprecante sancto Irenæo ad ultimum effectum non perduxit. Innocentius I, audita morte sancti Chrysostomi, Arcadium imperatorem et uxorem ipsius excommunicavit, eo quod in sede Constantinopolitana restitui Chrysostomum, prout Sedes Apostolica jusserat, non permisissent. Nicolaus I Clotario regi excommunicationem comminatus est. Ejus autem concubinam Waldradam, necnon Coloniensem et Trevirensem Archiepiscopos excommunicavit. — Constat : 3° plurium propositionum condemnatione. Damnata est, verbi gratia, in concilio Constantiensi propositio XXX^a Wiclefi, quæ sic habebat : *Excommunicatio Papæ vel cujuscumque Prælati, non est timenda, quia est censura Antichristi.* Si Papæ non competeret potestas excommunicandi, ejus excommunicationes non essent timendæ. A Leone Papa X damnata est XXIII^a propositio Lutheri : *Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spirituali-*

bus Ecclesiæ orationibus. Item XXIV^a^ : *Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem quam timere.* Ibi quidem generatim agitur de excommunicationibus in Ecclesia ferri solitis. Sed cum de facto ferri soleant ab Episcopis et potissimum a Papa, perinde est ac si expresse dixisset Lutherus *excommunicationes a Papa latæ*, etc. — Constat : 4° ratione theologica. Nam, ex præcedenti prærogativa, Romani Pontificis jus est decreta fidei, morum et disciplinæ generalis condere. Habet nempe, jure divino, legislativam, quoad tria hæc, potestatem. Porro legislativa potestas, ne inanis ac nulla sit, sibi necessario annexam habet potestatem pœnas decernendi. Censuræ autem sunt pœnæ, et quidem in societate spirituali valde idoneæ.

PRÆROGATIVA V^a^. — *Ex divina dispositione, soli Romano Pontifici jure ordinario competit concilia generalia convocare, eis præsidere, eaque transferre, dissolvere ac confirmare.* — Vide probatum infra, parte octava, cap. 1.

PRÆROGATIVA VI^a^. — *Romano Pontifici, ex jure divino reservandæ ac referendæ sunt causæ majores, ac proinde causæ fidei et generalis disciplinæ.* — Sequitur ex primatu jurisdictionis. Nam causæ fidei et generalis disciplinæ non spectant solummodo ad hanc vel illam diœcesim, sed ad totam Ecclesiam. Decernere autem de causis ejusmodi, ad illum solum pertinet cujus auctoritas, utpote suprema et monarchica, ad totam Ecclesiam extenditur. Ergo causæ de fide, moribus, disciplina generali et de bono totius Ecclesiæ ad Romanum Pontificem reservandæ ac referendæ sunt. — Idem constat ex perpetua praxi. Nam insurgentibus erroribus et hæresibus semper ad Romanum Pontificem catholici recurrerunt. Et de facto, ante concilium Nicænum hæreses omnes a Romanis Pontificibus damnatæ sunt. Item postea hæretici Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Pelagius, Monothelitæ, prius ad Romanos Pontifices delati et ab eis damnati sunt, quam in conciliis œcumenicis eorum causæ ventilarentur. Insuper

ipsi Romani Pontifices dictas causas ad se referendas pro certo habuerunt et commonuerunt. Inter quos sic sanctus Innocentius I, in suis ad concilium Milevitanum litteris : « Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, ad sui nominis et honoris auctorem, referre debere. »

Prærogativa VII[a]. — *Romano Pontifici, jure divino, competit potestas sibi reservandi, in foro conscientiæ, graviorum criminum absolutiones : item potestas sibi reservandi dispensationes, collationes beneficiorum, et munia ecclesiastica.* — Sequitur ex eo quod ipsi in Beati Petri persona collata sit a Christo potestas *quodcumque* ligandi atque solvendi. — Sequitur insuper ex *suprema* ipsius et *monarchica* in totam Ecclesiam jurisdictione, ut patet. — Constat prætcrea ex praxi. Romani quippe Pontifices hæc sibi, quatenus Petri successoribus, tribuerunt, tota consentiente ac approbante Ecclesia. — Constat speciatim quoad jus sibi reservandi graviorum peccatorum absolutionem, ex his Tridentini concilii verbis : « Pontifices maximi, pro suprema auctoritate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum suo potuerunt peculiari judicio reservare » (sess. XIX, c. vii). — Idem constat brevi *super soliditate*, ubi Pius VI, inter errores quos dicit *tot decretis damnatos*, et quos ipse damnat, recenset et istum : *Licitum sibi fecisse Pontifices violandi jura Episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum*, etc. Ergo summus Pontifex jus suum a Christo acceptum exercet, dum causas istas sibi reservat. — Idem constat ex damnatis in bulla *Auctorem fidei* sequentibus articulis : « VII, item in eo quod hortatur Episcopum ad prosequendam gnaviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem, idque contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium : per id quod supponit Episcopo fas esse, proprio suo judicio et

arbitratu, statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis a qua inductæ sunt aut probatæ et vim legis obtinent, inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea. — VIII, item quod et sibi persuasum esse ait, jura Episcopi a Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ; in eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiore potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ, inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea. » Ex ista damnatione sequitur, nulli Episcopo fas esse statuere contra exemptiones, reservationes, etc., sine venia et interventu *superioris* hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et posse jurium episcopalium exercitium a *superiore* potestate præpediri ac coerceri. Porro potestas hæc *superior* Episcopis, est procul dubio, non tantum potestas conciliorum œcumenicorum, sed etiam potestas Romanorum Pontificum, qui ex plenitudine potestatis sibi prædicta reservant, et episcopalis potestatis exercitium coercent. Ergo jure proprio sibi hæc Pontifices reservant.

Prærogativa VIII[a]. — *Romano Pontifici, jure divino, competit potestas recipiendi Episcoporum appellationes a sententiis contra ipsos prolatis.* — Sequitur e textibus *quodcumque ligaveris... Pasce agnos, pasce oves*, queis constat plenam et *supremam* in Ecclesia potestatem esse penes Romanum Pontificem. Semper enim fas erit appellare a sententia tribunalis inferioris ad judicem supremum. Et is, hoc ipso quod sit *supremus* judex, poterit appellationes a sententiis quorumlibet reci-

pere, ac suo judicio reservare. — Idem sequitur e primatu jurisdictionis Romani Pontificis, ejusque potestate *plena*, *suprema* et *monarchica*. — Idem colligitur e constanti Ecclesiæ praxi. Jam a primis Ecclesiæ sæculis ad summos Pontifices, tanquam ad Petri successores appellarunt S. Athanasius, Eusthatius Sebastenus, S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, S. Ignatius pariter Episcopus Constantinopolitanus. Appellarunt scilicet Orientales etiam Episcopi et Patriarchæ. Atque illos summi Pontifices admiserunt, audiverunt, absolverunt, respectivis suis sedibus e quibus exturbati fuerant restituerunt, conciliorumque sententias contra ipsos latas resciderunt. — Insuper Sardicense concilium, quod habitum fuit tanquam Nicæni continuatio, et œcumenicitatis auctoritatem obtinuit, canonibus 4 et 7, licitum declaravit Episcopis quibuslibet depositis ad Romanum Pontificem appellare. — Tandem idem evincitur ratione theologica. In omni quippe societate appellare licet a judicibus inferioribus ad superiores, et ab istis ad supremum. Sed in Ecclesia judex *supremus* est Papa, siquidem de fide est ipsi competere *primatum jurisdictionis*, potestatemque *plenam* et *supremam*; ergo ad Papam appellare possunt ipsi etiam Episcopi, ab aliis quibuscumque judicibus damnati ac depositi.

Prærogativa IXª. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas Episcopos confirmandi, seu eis dandi institutionem canonicam; ita ut ad metropolitanum aut alios confirmatio hæc pertinere non possit nisi ex concessione Sedis Apostolicæ.* — Vide probatum in meo tractatu *de Episcopo*, parte II, cap. I, § 3 et 4.

Corollarium I ex prærogativa IXª. — Ergo si quis metropolitanus absque concessione Romani Pontificis, Episcopos instituere attentaret, inane foret tentamen istud, schismaticum, et in suo principio fidei adversum. — 1° Quidem inane foret. Cum enim, absque Papæ concessione, Episcopi jurisdictionem nec

licite nec valide exercere possint, dictus metropolitanus nullum eis revera jus per prætensam suam institutionem conferret. 2° Esset schismaticum, utpote quo iste metropolitanus, necnon Episcopi ab ipso instituti, ab obedientia Romani Pontificis, atque adeo ab regiminis unitate sese resecarent. 3° Esset in principio suo fidei adversum. Niteretur quippe principio hoc : posse legitime constitui Episcopos absque Romani Pontificis auctoritate, ac ipso etiam invito. Quo semel admisso, actum est, ut patet, de pluribus fidei articulis, verbi gratia, de primatu jurisdictionis, et de plena Pontificis potestate pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam. Quod autem dictum est de metropolitano, dicendum et de synodo metropolitanum instituente, ut patet.

Corollarium II ex eadem prærogativa IX. — Ergo intrusi ac schismatici forent Episcopi, qui contra Romani Pontificis decreta et jus, seu absque ipsius concessione, electi ac confirmati, ad ipsum solummodo mitterent fidei professionem et communionis epistolam. — Illi enim sunt intrusi ac schismatici qui episcopalem jurisdictionem exercent[1] quamvis eam a Papa non receperint, nec ab alio recipere potuerint. Atqui tales essent dicti Episcopi. Etenim, ex hypothesi, summus Pontifex eos repellit, nec extra ipsum alius extat fons episcopalis jurisdictionis. — Et hac de causa pro schismaticis habiti sunt Episcopi jansenistæ ultrajectenses ab anno 1723; itemque Episcopi *Constitutionales* Galliæ.

PRÆROGATIVA X^a. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas Episcopos deponendi, non tantum ob crimen, sed etiam (stante utilitatis causa) nullius delicti reos; ac omnes simul alicujus regni præsules.* — De hac quæstione fuse disseruimus in tractatu *de Episcopo*, parte tertia. Ubi notet lector quæ dixi-

1. Hic jurisdictionem episcopalem vocamus eam solam quæ valide *exerceri possit;* ut nempe abstrahamus ab opinione quæ tenet per consecrationem immediate a Christo Episcopis conferri quidem jurisdictionem; sed quæ sine Papæ consensu nullibi valide possit exerceri.

mus (sectione II) de remotis a Pio VII omnibus simul Galliarum Episcopis.

Prærogativa XIª. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas, novas diœceses constituendi, et antiquas restringendi vel etiam supprimendi.* — Nam diœceseon territorialis determinatio seu limitatio non est juris divini, sed ecclesiastici. Igitur mutari potest a *suprema* Ecclesiæ potestate, quæ penes Romanum Pontificem residet. Nec objiciatur obstare canones. Nam, ut supra probatum est, ipsis etiam disciplinaribus canonibus superior est papalis auctoritas. — Præterea nullus Episcopus jurisdictionem valide potest exercere nisi in illud territorium et in illos subjectos, quos ipsi assignaverit Papa, vel alius de Papæ consensu. Igitur ad Papam pertinet singulis Episcopis suum territorium prout sibi visum fuerit assignare. Nec obstat quod alii Episcopi determinatum quisque territorium sub jurisdictione sua jam habeant. Nam, ex præcedenti prærogativa, potest eos summus Pontifex, etiam invitos et innoxios deponere. Igitur potest Papa diœceses omnes alicujus regionis supprimere, depositis earum Episcopis, et novas cum alia circumscriptione creare. Atque id peregit quoad Galliam Pius VII. Et a fortiori potest Papa unam diœcesim restringere, vel etiam supprimere, et territorium ejus alteri conjungere.

Prærogativa XIIª. — *Romano Pontifici jure divino competit ordinaria jurisdictio in omnes mundi diœceses. Est de fide.* — Ea est *ordinaria* potestas, quam quis, vi officii seu muneris sui permanentis et continuo exercendi, obtinet in certos homines sibi subditos; quam nempe non habet ex delegatione superioris ordinarii, sed dignitati suæ annexam. Atqui talis est Romani Pontificis potestas in omnes et singulas mundi ecclesias. Ipsi nempe dictum a Christo, in Beati Petri persona : *pasce agnos, pasce oves*, id est, omnes omnino fideles. Ipsi a Christo collata *plena* et *suprema* potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi; quæ potestas, nisi

esset ordinaria, falso plena et suprema diceretur. Item evanesceret primatus jurisdictionis, si delegata dumtaxat jurisdictione constaret; si quidem major est delegantis quam delegati potestas. Item desineret *monarchica* Romani Pontificis auctoritas; siquidem monarcha nullus esse potest absque ordinaria in regno suo potestate. — Insuper œcumenica synodus duodecima, quæ fuit Lateranensis quarta, rem sic expresse definivit anno 1215 : « Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias *ordinariæ* potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium mater et magistra. » (Labbe, t. XI, col. 153, edit. Parisiis, 1671.) Item constat ex his verbis Pii VI, in Brevi *Super soliditate :* « Dogma catholicum est Apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate, quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos; quem solum Apostolis præesse Christus jussit; et subesse plenitudini potestatis Romani Pontificis (quæ veluti ordinaria fuit in Petro, ita *in ejus successoribus ordinaria est*) omnes Episcopos ; qui extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur. » — In eodem Brevi *Super soliditate*, inter errores quos Pius VI damnatos fuisse asserit, et quos ipse damnat, recensetur iste : « Vim primatus hac una prærogativa contineri, supplendæ aliorum negligentiæ, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo : Pontifices nihil posse in aliena diœcesi, præterquam extraordinario casu. »

Prærogativa XIII[a]. — *Romano Pontifici jure divino competit jurisdictio* immediata *in omnes et singulas mundi diœceses. Est de fide.* — Immediata potestas ea est quam quis in omnes subditos suos exercere potest *immediate*, id est, per seipsum sine auctoritate media, seu absque alterius potestatis opera; ita nempe ut possit, non tantum aliis qui simul regunt invigilare, eos hortari ad recte fungendum munere suo, negligentesque aut delinquentes admonere ac verbis corrigere, sed etiam leges ferre quibus constringantur isti rectores ac eorum subditi, censuris utrosque coercere, rectores pravos aut inu-

tiles deponere, ac alios ipsis substituere. Atqui talis est potestas Romani Pontificis, tum in Episcopos, tum in omnes fideles Episcopis subjectos. — Constat Scriptura sacra. Non dixit Christus, pasce agnos mediate per oves, id est, fideles mediate per Episcopos, sed : *Pasce oves*, *pasce agnos*. Sicut *immediatus pastor* constitutus est quoad oves seu Episcopos, ita et quoad agnos seu fideles. Item dixit Christus : *Quodcumque ligaveris*... Ergo validum *quodcumque* successor Petri decreverit. Ergo valida ejus decreta, sive Episcopos, sive ipsorum diœcesanos immediate respiciant. — Idem sequitur ex primatu jurisdictionis. Nam vi ejusmodi primatus, præcipienti ac decernenti Romano Pontifici omnes tenentur obedire. Igitur si Papa immediate præcipiat omnibus totius mundi fidelibus, fideles isti omnes ex obligatione parere debebunt. Ergo habet in omnes immediatam auctoritatem. — Idem sequitur ex eo quod Romano Pontifici competat *monarchica* et *plena* potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi. Nam si Papæ decreta uniuscujusque diœcesis fideles attingere non possent nisi mediate, id est, nisi consentiente istius diœcesis Episcopo, suprema potestas regiminis quoad singulas diœceses, esset penes earum Episcopos; non autem penes Papam, nisi quoad suam diœcesim Romanam. Igitur constituisset Christus Ecclesiam cum forma *fœderativa*. Constaret nempe Ecclesia totidem statibus monarchicis et ab invicem independentibus, quot extant diœceses. Si vero dicatur, non pendere quidem ab unoquoque Episcopo vim Pontificiorum decretorum, pendere tamen a consensu episcopalis collegii, seu corporis moralis Episcoporum, tunc Ecclesiam suam constituisset Christus cum forma *aristocratica*, siquidem supremam auctoritatem esse voluisset penes rectores præcipuos, id est, Episcopos, quatenus collegialiter statuentes. Unde quocumque modo intelligatur Romani Pontificis potestatem in omnes et singulos mundi fideles *non esse immediatam*, aperte sequitur potestatem illam non esse *mo-*

narchicam et *plenam;* id est aperte sequitur catholici dogmatis subversio. — Idem sequitur ex prærogativa præcedenti, Romanis Pontificibus *ordinariam* in omnes fideles et diœceses jurisdictionem vindicante. Nam si Papa jurisdictionem non haberet nisi *mediante* unoquoque Episcopo, aut *mediante* collegio episcopali, eam reciperet ab istis intermediis. Proinde jurisdictio hæc non esset *ordinaria*, sed delegata. Ergo ex eo quod sit *ordinaria*, simulque plena et suprema, sequitur eam esse *immediatam*.

Prærogativa XIVª. — *Romano Pontifici, ex jure divino competit potestas certos homines, ac etiam communitates et territoria eximendi ab ordinariorum jurisdictione.* — Sequitur ex eo quod, vi primatus, potestatem habeat ordinariam et immediatam in omnes et singulos fideles ex prærogativis XII et XIII. — Item ex eo quod possit aliquam diœcesim restringere, ex prærogativa undecima. — Item ex damnatione, per bullam *Auctorem fidei*, articulorum 7 et 8, relatorum supra, sub prærogativa VIIª. — Item ex Brevi Pii VI *Super soliditate.* Nam ibi inter errores quos dicit damnatos et quos ipse damnat istum recenset Pius VI : « Licitum sibi fecisse Pontifices violandi jura Episcoporum, reservandique sibi dispensationes et alia munia quæ singulatim recenset » (Eybel). Porro recenset Eybel et *exemptiones* de quibus agimus, quæque insuper sub nomine dispensationum comprehenduntur. — Et tandem Papæ jus quoad, istas exemptiones, evidenter sequitur ex ipsius *plena* et *suprema* Ecclesiam universam regendi potestate, et ex verbis « *Quodcumque* ligaveris... » De antiquitate ac æquitate hujusmodi exemptionum, quibus regulares ab Episcoporum jurisdictione immunes fiunt, vide in meo tractatu *de Jure regularium*, parte V, sect. II, cap. II.

Prærogativa XVª. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas, in aliqua Ecclesia seu diœcesi constituendi administratorem seu vicarium apostolicum.* — Intellige, qui episcopalem jurisdictionem ibi exerceat, sive totalem, sive juxta

modum sibi præfixum. Item intellige, sive sedes episcopalis vacet sive non vacet. Item intellige, sive Episcopus male gubernet, sit suspensus, etc., sive absque ullo ipsius crimine, verbi gratia, ob senium, vel ex eo quod exulet, vel ex aliis circumstantiis id utile suadentibus. — Sequitur ex jurisdictione ordinaria et immediata Romani Pontificis in omnes et singulas diœceses. — Item ex eo quod possit Episcopos, etiam absque ullo ipsorum crimine, omni jurisdictione privare, et alios Episcopos ipsis substituere. Si potuit, verbi gratia, Pius VII omnes Galliarum Episcopos, etiam invitos et innoxios, deponere, ut novam statueret diœcesium circumscriptionem, cur non posset quilibet Pontifex, gravem ob causam, alicujus diœcesis præsuli jurisdictionem adimere, relicto ipsi solo titulo, et ibi constituere administratorem vel vicarium apostolicum, qui episcopalem jurisdictionem exerceat? — Id peractum Lugduni quoad cardinalem Fesch. Equidem ipsius vicarius generalis Bochard, fundator et primus superior congregationis clericorum qui dicuntur *les Chartreux*, constituti administratoris de Pins jurisdictionem agnoscere recusavit. Sed de ipso sic Leo Papa XII in suo Brevi 28 novembris 1826 ad Reverendissimum Devie Bellicensem Episcopum : « Omni autem Archiepiscopo cardinali adempto jurisdictionis exercitio ista in diœcesi, satis mirari non possumus quæ de *pseudo-vicario* Bochardo significas, *cujus audacia jam in apertum schisma prorumpit.* » (Vide meum opusculum, *Deux Pages d'histoire du diocèse de Lyon.* Tornaci, 1864. Typis etiam paulo post editum Genevæ.)

Prærogativa XVIª. — *Romano Pontifici jure divino competit potestas, habendi in provinciis et regnis, Legatos Nuntiosve, jurisdictione, quoad loca ista, præditos.* — Id fuse probavimus in tractatu *de Curia Romana*, parte IV.

Prærogativa XVIIª. — *Romano Pontifici ex jure divino competit potestas exigendi ut Episcopi relationes mittant de statu suarum diœceseon, necnon eorum acta, si visum fuerit, impro-*

bandi ac rescindendi. — Sequitur ex primatu jurisdictionis. Supremam enim et plenam jurisdictionem non haberet Papa, si non posset ab Episcopis exigere, ut de administratione sua rationem redderent, et eorum actus, quos noxios reperiret, corrigere vel rescindere. — Item sequitur ex potestate ordinaria et immediata in quamlibet diœcesim, et ex potestate *quodcumque* ligandi et solvendi, ut patet. — Et non tantum exigere potest Romanus Pontifex ut quilibet Episcopi dictas relationes mittant, sed etiam ut statutis temporibus Romam veniant et per seipsos administrationis suæ rationem reddant. Quæ obligatio vocatur *visitationis ad limina apostolorum*. Et extat revera ejusmodi lex ecclesiastica. De qua vide meum tractatum *de Episcopo*, parte V, cap. III.

Corollarium ex enumeratis prærogativis. — *Ergo falsa et hæretica est doctrina Richerii, Febronii, et aliorum novatorum, contendentium potestatem clavium immediate a Christo Ecclesiæ fuisse collatam, et ab Ecclesia commissam Petro ac ejus successoribus.* — Hæc enim doctrina directe contradicit huic articulo fidei : Primatum auctoritatis a Christo immediate concessum fuisse Petro ac ejus successoribus. Quam doctrinam, pluries jam antea damnatam, iterum condemnavit Pius VI, tum Brevi *Super soliditate*, tum Bulla *Auctorem fidei*, in qua proscripta fuit propositio synodi Pistoriensis de *Capite ministeriali*.

PARS VI

DE PRINCIPATU TEMPORALI ROMANI PONTIFICIS (REMISSIVE)

Fuit nuper quæstio hæc tam ubere, atque a tot eximiis scriptoribus ventilata, ut hic suo loco indicandam dumtaxat duxerimus. Lectorem vero præcipue remittimus ad dissertationem, a reverendo patre Perrone centum fere paginis exaratam, in recenti opere suo *De Domini nostri Jesu Christi divinitate, adversus hujus ætatis incredulos, rationalistas et mythicos.* (Tomo III, pag. 207 et seq. Taurini, ex typis Marietti, 1870.) Subjiciemus tamen, ut in quodam veluti compendio rationes et auctoritates introspiciantur, epistolam quam, jussu Pii Papæ IX, ad Episcopum quemdam direxit Eminentissimus Cardinalis Caterini, die 8 aprilis 1864, Gallice in Diario l'*Univers* editam, die 26 novembris 1868; tenoris scilicet hujuscemodi :

Illustrissime et révérendissime seigneur,

J'ai trouvé, incluse, dans la lettre de votre Seigneurie illustrissime et révérendissime, que j'ai reçue lundi dernier, la copie de la réponse à vous envoyée par le chanoine théologal N.[1], et vous pouvez facilement vous imaginer l'impression que m'en a faite la lecture.

[1] Ce chanoine n'avait pas souscrit à l'adresse de Passaglia, mais il en tenait et en propageait les maximes.

Je dois d'ailleurs vous avouer que la teneur de sa lettre me permet de penser que chez lui le cœur n'est pas gâté, et que le refus qu'il fait de se rétracter vient plutôt du manque de connaissances théologiques et historiques que de malice. En effet, il proteste qu'il n'est pas *obstiné* dans son opinion, et demande à être instruit *de la nouvelle doctrine, qu'il pense avoir été introduite seulement depuis peu d'années.*

Votre Seigneurie ne pourrait-elle donc pas lui donner à lire la célèbre Collection sur le domaine temporel du Saint-Siége, dans laquelle se trouvent non-seulement les allocutions et l'Encyclique du Saint-Père, mais encore les adresses de presque tous les Évêques du monde? Il y trouverait en abondance les instructions nécessaires, et il en tirerait facilement cette réflexion : le Pape et les Évêques, c'est-à-dire l'Église catholique enseignent ainsi; pourquoi ne les écouterais-je pas? Si je n'écoute pas l'Église, j'encours la terrible censure qui dit : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Lorsque le Pape parle, lui qui est le maître universel et le représentant de Jésus-Christ, qui osera s'opposer à ce qu'il dit et *non captivare intellectum suum*, qu'il entende ou qu'il n'entende pas la force de la parole et du commandement? Et bien que dans le cas présent il ne s'agisse pas d'un article directement de foi, ne devra-t-on pas cependant écouter la voix du suprême Hiérarque? Qui ne sait que, en dehors des articles strictement de foi, il y en a d'autres qui tiennent à la foi, et qu'il y a les préceptes de morale, comme celui-ci, par exemple : *Non furaberis?*

Si vous ne croyez pas devoir vous occuper vous-même de l'enseignement dont ce chanoine a besoin, ne pourriez-vous charger son confesseur ou quelque autre ecclésiastique instruit en ces matières d'avoir avec lui des conférences, et de chercher, avec un grand esprit de charité et de patience, à l'éclairer, à le conduire *ad bonam frugem*, après avoir invoqué avec une vive foi le secours d'en haut?

Le chanoine N... devrait, grâce à son âge avancé, se souvenir du temps de Napoléon I[er], qui envahit à main armée les États de l'Église romaine. Il se rappellera les protestations de Pie VII, et ensuite l'excommunication solennelle fulminée par lui contre les usurpateurs. Il n'y a donc pas là *une doctrine nouvelle et introduite depuis peu d'années*, comme il le pense, mais une doctrine ancienne.

Et même très-ancienne. Qu'il lise Orsi, *Souveraineté des Pontifes*, avec les notes de Cenni; Brunengo, *Souveraineté temporelle des Papes;* Steccanella, *la Valeur et la Violation de la Déclaration pontificale sur le domaine temporel du Saint-Siége;* Bellarmin, *De Rom. Pontifice*, liv. V, chap. IX; et particulièrement l'opuscule du P. Theiner, intitulé : *Les Deux Conciles généraux de Lyon et de Constance relativement au domaine temporel du Saint-Siége*[1]; et s'il ne connaît pas l'opuscule de Theiner, qu'il recoure aux actes de ces deux conciles. Il verra que dans le premier concile de Lyon, tenu sous Innocent IV pour mettre fin à la guerre impie que Frédéric II faisait à l'Église et à son domaine temporel, après qu'on eut reconnu l'insuffisance de l'excommunication lancée précédemment contre lui; et qu'on eut vu qu'il ne faisait qu'augmenter ses iniquités et ses usurpations en s'emparant de quelques villes de l'Église romaine, comme on le lit dans la sentence : *Possessiones quoque Romanæ Ecclesiæ, videlicet Marchiam, ducatum Beneventanum... Patrimonium B. Petri*, — il verra, dis-je, que Frédéric fut solennellement déposé en présence des Pères, des orateurs, des souverains et de l'avocat même de cet empereur.

Cet acte solennel d'un Souverain Pontife et d'un concile œcuménique démontre évidemment la légitimité et l'antiquité du domaine temporel du Saint-Siége, et en sanctionne

[1] On peut voir aussi maintenant Roskovani dans son ouvrage récent : *Romanus Pontifex*, t. V, où sont rapportés les *Monumenta de civili Principatu a sæculo IV ad annum* 1865.

l'inviolabilité, la convenance et la nécessité. Il verra, en outre, que, au concile de Constance, on a pareillement reconnu et sanctionné d'une façon non moins solennelle la souveraineté du Saint-Siége, au moyen de la condamnation des propositions de Wiclef, dont la XXXIII[e] était ainsi conçue : *Sylvester Papa et Constantinus imperator erraverunt dotando Ecclesiam*, condamnation par laquelle le concile reconnaissait la légitimité de toutes les possessions de l'Église, sans en exclure la plus noble, la plus utile et la plus nécessaire au Pontife romain pour l'exercice libre et indépendant de sa juridiction spirituelle : savoir, la souveraineté temporelle. Ce concile reconnut aussi par le fait la légitimité et la nécessité de ce domaine, lorsqu'il se chargea de l'administration et du gouvernement temporel des États de l'Église pendant l'intervalle de temps qui s'écoula entre l'abdication des antipapes et l'élection du nouveau et légitime Pontife Martin V, intervalle pendant lequel l'Église, privée de chef, n'était représentée que par le concile général de Constance. Ce fait, et l'exercice du suprême domaine assumé par le concile sur les États de l'Église, se trouve établi par les documents que le P. Theiner a recueillis dans l'opuscule mentionné plus haut.

Ainsi, dire que la convenance et la nécessité du domaine temporel du Saint-Siége, est *une doctrine nouvelle... introduite depuis peu d'années*, c'est dire une chose *fausse* historiquement, et *erronée* au point de vue doctrinal, en tant que ce serait accuser les Papes d'usurpation et d'erreur lorsqu'ils reçoivent et retiennent la souveraineté temporelle des États de l'Église, et condamner ces deux mémorables conciles de Lyon et de Constance, qui ont authentiqué et sanctionné, en principe et en fait, cette pessession. Celui qui soutiendrait le contraire renouvellerait l'erreur d'Arnauld de Brescia, de Calvin et d'autres hérétiques, comme on le lit dans Noël Alexandre, *Hist. eccles.*, t. VII, ad sæc. XI, cap. IV, art. 8, *de Arnaldiis ;* dans Bellarmin, *loco cit.*, cap. X; et dans Mamachi, *del*

Diritto libero della Chiesa (du Droit libre de l'Église), etc., tom. I, liv. I, chap. v. Les Arnaldistes, ennemis de l'Église et de la Papauté, disaient en effet qu'il était contraire à l'esprit de l'Évangile de joindre le pouvoir temporel au pouvoir spirituel; proposition qui mérite d'être condamnée comme hérétique.

Il sera plus opportun encore pour le chanoine N... de lire la constitution de Nicolas III, en date du 18 juillet 1278, qui commence par ces mots : *Fundamenta militantis Ecclesiæ*, et rapportée dans le corps du droit canon, au chap. XVII, *de Elect.*, in 6. Cette constitution semble avoir été faite exprès pour résoudre la difficulté qui l'arrête. Il y verra, comme on le lit au commencement, que *non absque miraculo factum esse conspicitur*, il ne paraît pas s'être fait sans miracle, que la souveraineté de Rome se trouve en la possession du Souverain Pontife. En effet, le Pape est le maître suprême de la chrétienté, et c'est à lui que Jésus-Christ a donné la pleine puissance de paître, de régir, de gouverner l'Église universelle. Or, pour l'exercice de ce vaste ministère et pour le libre déploiement de cette action universelle, le principat civil est utile, nécessaire même; le principat civil sans lequel l'indépendance du pouvoir spirituel ne pourrait être sauvegardée, puisque le législateur suprême de l'Église se trouverait enchaîné et soumis au prince local qui régnerait sur lui, tandis que le Père spirituel de tous les chrétiens, le directeur des consciences des sujets et des rois doit rester étranger aux intérêts particuliers de tel ou tel souverain et doit être absolument libre et indépendant de qui que ce soit : chose qui ne pourrait pas toujours se réaliser s'il n'était pas souverain absolu dans son territoire, mais au contraire sujet et dépendant d'une autre volonté. Sans cette souveraineté, le Pape ni ne serait ni ne paraîtrait libre et indépendant de toute pression extérieure; et, par conséquent, ses décisions et ses oracles trouveraient le plus souvent d'invincibles obstacles à leur

publication, à cause de l'opposition du prince territorial qui les jugerait contraires à ses intérêts mondains; et, s'ils étaient publiés parce qu'ils n'y seraient pas contraires, ils susciteraient des jalousies, des querelles et des prétextes qui pousseraient les autres souverains à en empêcher la divulgation et l'exécution. Ils ne pourraient donc plus rassurer les consciences des fidèles, ni être l'objet de la haute vénération qu'ils méritent.

Aussi est-ce avec grande raison que, dans la susdite constitution, Nicolas III, parlant de la souveraineté des Papes, donne comme principale raison de cette souveraineté la liberté et l'indépendance du ministère apostolique, en ces termes : *Non justum arbitrans, ut ubi sacerdotii principatum, et christianæ religionis caput imperator cœlestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem; quia magis ipsa* Petri Sedes *in romano* jam proprio solio *collocata* libertate plena *in suis agendis per omnia potiretur*, nec ulli *subesset* homini, *quæ jure divino cunctis cognoscitur esse prælata.* Le même Pontife ajoute d'autres considérations et fait diverses remarques ayant pour objet de démontrer et d'éclairer davantage l'utilité et la nécessité de la souveraineté temporelle des Souverains Pontifes pour le bien de l'Église universelle.

Si l'on objectait que le principat civil n'ayant pas été nécessaire dans les premiers siècles de l'Église, il ne peut pas l'être davantage dans le temps actuel, on montrerait que l'on connaît bien peu les voies du Seigneur. Celui qui opère en tout *suaviter et fortiter* opère dans le temps et de la manière qu'il juge les plus convenables en sa sagesse infinie. Qu'on lise ce qu'écrit Bellarmin, *loc. cit.*, chap. IX : « Et si absolute forte præstaret, Pontifices tractare solum spiritualia et Reges temporalia; tamen propter malitiam temporum experientia clamat, *non solum utiliter*, sed etiam *necessario, et ex singulari Dei providentia* donatos fuisse Pontifici aliisque Episcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germania *Episcopi*

Principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent. Sicut ergo in testamento veteri diu fuerunt Pontifices sine imperio temporali, et tamen ultimis temporibus non poterat religio consistere et defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Machabæorum; ita quoque accidisse videmus Ecclesiæ; ut quæ primis temporibus ad majestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem *necessario* indigere videatur. »

A la constitution de Nicolas III doit se joindre une autre constitution très-connue et très-ancienne, la Bulle *In cœna Domini*, dans laquelle sont expressément excommuniés les envahisseurs des villes et des terres de l'État pontifical.

Il ne faut pas surtout oublier celle du grand et saint Pontife Pie V, qui commence par le mot *Admonet*, et qui est du 29 mars 1567. Ce saint Pontife connaissant, non-seulement la convenance et l'utilité, mais même la nécessité du domaine temporel, et voulant pourvoir le mieux possible à son intégrité, interdit toute aliénation, échange et inféodation, même *sub prætextu necessitatis vel evidentis utilitatis*, et assujettit à de très-graves peines, tant les Cardinaux que *alii quicumque*, même à la peine de l'excommunication *eo ipso*, qui tenteraient de persuader ou d'insinuer au Pape *pro tempore* de faire de telles aliénations, « *insinuantes vel suadentes eo ipso* sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice, » etc.

Il ordonna encore que tous les nouveaux Cardinaux fussent astreints à promettre par serment l'observation de cette constitution : « *Nec Pontificibus contrafacientibus consentire*, absolutionem ab juramento præstito non petere, *nec oblatam*, aut concessam *acceptare*... ac contrafacientes pœnam perjurii et perpetuæ infamiæ juris et facti *eo ipso* incurrere. » Il y a plus. Ce saint Pontife, après avoir dit : « Quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini Nostri Jesu Christi in examine

diei magni adventus tribunal villicationis nostræ rationem reddituros nos esse, » prit un soin extraordinaire et imagina un moyen efficace pour procurer l'inviolable observation de cette constitution, même par ses successeurs, en enjoignant aux Cardinaux réunis en conclave d'en jurer de nouveau l'observation *per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem, hoc ipsum promittere, et deinde post coronationem suam, promissionem, et juramentum hujusmodi per litteras suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat.*

Ces documents, tirés de monuments authentiques, antiques et pleins d'autorité, sans parler de tant d'autres qu'on pourrait apporter en témoignage, ces documents, dis-je, exposés et analysés par une personne intelligente, ne pourront manquer de persuader et de convaincre le chanoine N..., s'il est, comme je le pense, un homme de bonne foi et de bon jugement; et il devra admirer et confesser avec quelle sagesse et quel bon droit le glorieux Pontife Pie IX, dans son allocutiou du 20 juin 1859, et plus tard dans son Encyclique du 19 janvier 1860, a pu prononcer cette sentence : « Singulari divinæ Providentiæ consilio factum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine, et varietate, Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem, nemini prorsus obnoxiam, haberet, qua Romanus Pontifex, summus totius Ecclesiæ pastor, nulli unquam Principi subjectus, supremam universi dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam, per universum, qua late patet, orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quæ pro re ac tempore ad majorem totius christianæ reipublicæ utilitatem pertinere ipse cognosceret. »

Il faudrait que le chanoine théologal N... considérât sérieusement que les Arnaldistes de nos jours, qui se donnent comme de fervents catholiques, et comme de chauds amis du peuple, ne sont en effet que les plus cruels ennemis du peuple et plus encore de l'Église. Pour l'abattre plus sûrement, ils prennent le vain et spécieux titre de l'amour de la patrie, et ils s'élèvent ainsi contre le principat civil des Papes, qui est le plus ancien et le plus légitime, le plus sage et le plus doux de tous, précisément parce qu'ils savent bien à quel point ce principat sert à maintenir et à assurer au chef suprême de l'Église l'indépendance dont il a besoin pour exercer dans tout l'univers son ministère apostolique; ils espèrent, une fois que le pouvoir temporel des Papes aura été détruit, qu'il leur sera plus aisé de détruire la papauté elle-même, ou au moins d'en affaiblir tellement l'influence dans le monde, que le monde restera comme une facile proie, qu'ils pourront à leur gré plonger ensuite dans les schismes, dans les hérésies, dans l'incrédulité et dans les plus honteuses abominations.

Que le chanoine N... jette un regard sur le triste état où en est réduite l'Italie depuis 1859, et je suis persuadé qu'il versera des larmes de douleur. Qu'il observe à quelles entraves sont soumis les Évêques, les uns emprisonnés, les autres exilés de leurs diocèses, tous persécutés ou au moins réduits au silence, et n'ayant plus même la faculté d'interdire la messe aux prêtres égarés. Si le Pontife romain ne possédait pas le principat civil, serait-il dans une meilleure situation que les Évêques italiens? Sa situation serait pire encore. Que put faire Pie VII, lorsqu'il fut mis en captivité et emmené dans un pays étranger, privé de toute communication avec ses sujets et avec tous les fidèles du monde? Et pourquoi? Parce que sa conscience lui défendait d'accéder aux injustes volontés de Napoléon I[er]. Ces faits se renouvelleraient bien souvent, ils seraient pour ainsi dire à l'ordre du

jour, si le Piémont ou quelque autre État était maître de Rome. Devant de telles considérations le chanoine pourra-t-il ne pas être convaincu de la convenance, de l'antiquité, de l'utilité et de la nécessité du domaine temporel des Papes?... De V. S. Illust. et Rév., le serviteur dévoué, — † P. Cardinal Caterini. — Rome, 8 avril 1864.

PARS VII

DE FORMA CANONICA ROMANUM PONTIFICEM ELIGENDI SEU CONSTITUENDI (REMISSIVE)

Lectorem remittimus ad tractatum *de curia Romana* (parte I, capite x), ubi de conclavi et Romani Pontificis electione sufficienter actum est. Cum tamen ibi nihil dixerimus de prætenso quodam guberniorum jure, quod *exclusivæ* vocabulo designari solet, et error hac in re valde noxius esse possit, quæstionem istam hic breviter expendemus.

CAPUT UNICUM

DE PRÆTENSO *EXCLUSIVÆ* JURE.

Prænotandum. — *Quid sit* exclusiva, *et a quibusnam scriptoribus de ea disceptatum.* — Hoc nomine dicta est praxis quædam trium guberniorum, id est, Austriæ, Galliæ et Hispaniæ, ad impediendum ne hic vel ille Cardinalis in summum Pontificem eligeretur. Nimirum purpuratis patribus in conclavi degentibus unumquodque ex dictis gubernils notum faciebat, *dari* a se *exclusivam* tali Cardinali. Et unum dumtaxat, non plures excludendi sibi prærogativam tribuebat. Quæ praxis a duobus sæculis, aut etiam paulo ante invecta est. Eam autem

devii aliquot scriptores erigere tentarunt in *jus proprie dictum*, quo præfata gubernia non possent jam ab ecclesiastica auctoritate privari; vel saltem in *privilegium*, Ecclesiæ concessione ac longo usu firmatum; cum tamen, ut mox videbimus, nec jus unquam fuerit, nec ex parte Ecclesiæ aliud accesserit quam mera *tolerantia*. De hoc argumento sat fuse disseruit, ac sanam doctrinam tradidit Moroni (*Dizionario de erudizione...*, verbo *Esclusiva*). Qui auctor ibidem indicat scripta sequentia : *Commentatio de jure exclusivæ, ut appellant, quo Cæsar Augustus uti potest, quum Patres purpurati in creando Pontifice sunt occupati*, Genuæ 1740, auctore Joanne Georgio Estor. — Tamagna, *de Origine et prærogativis Cardinalium*, capite VII. — Novaes, *Elementi della storia de' Summi Pontefici*, t. XVIII, p. 9. — *Discorso anonymo sopra l'esclusiva dei Papi*, Venetiæ, 1722. — Asserit insuper Moroni, loco citato, compositam hac de re dissertationem a Cardinali de Lugo, societatis Jesu, in conclavi anni 1655. Quæ sane dissertatio, si haberetur, potissimum consulenda esset. — His indicationibus addendum recens opus, *Dictionnaire encyclopédique de la théologie catholique*, Paris 1860, verbo *Exclusion*. Quo tamen articulo, nec lucide, nec etiam recte res exponitur. — Quibus prænotatis, sit :

PROPOSITIO Iª. — *Exclusiva nunquam esse potuit jus dictis tribus guberniis inhærens quatenus sunt gubernia*. — Nam ad laicos potestatemque civilem non pertinere jus statuendi de rebus ecclesiasticis, est dogma catholicum, extra controversiam omnem positum. Posuit nempe Spiritus sanctus non temporalia gubernia, sed Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et in persona Beati Petri Romanis Pontificibus collata fuit a Christo *plena* potestas universalem Ecclesiam regendi, pascendi ac gubernandi. Quod autem Romani Pontificis electio sit *res ecclesiastica*, in dubium vocare vesanum foret. Igitur civilis potestas ex seipsa jus non habet sese in ejusmodi negotium ingerendi. Et si quando sese ingessit, id legitime fieri non

potuit, nisi ex concessione vel saltem tolerantia potestatis ecclesiasticæ. — Præterea si tribus istis guberniis competeret tale jus ex ea ratione quod sint civilis potestas, competeret etiam cæteris omnibus mundi guberniis; quod est absonum, ut patet.

Propositio IIª. — *Exclusiva non est jus competens tribus dictis guberniis, quatenus successoribus populi Romani et imperatorum, qui olim suas partes habuerunt in eligendo Romano Pontifice.* — Nam primis Ecclesiæ temporibus, id est, ante Constantinum, Romanus populus nullas partes habuit in eligendo Pontifice. Equidem postea fuit admissus; sed solummodo ad dandum de vita et conversatione electi testimonium. Atque id ipsum non fuit jus ab Ecclesiastica auctoritate independens, sed mera concessio, quæ retrahi poterat, et de facto aliquando revocata fuit. (Vide meum tractatum *de Curia Romana*, parte I, c. x). — Præterea dicta tria gubernia non sunt populus Romanæ diœcesis, nec ejus juribus unquam successerunt. — Ad imperatores quod attinet, sese quidem a sæculo quinto usque ad undecimum eligendis Romanis Pontificibus plurimum ingesserunt. At vel illegitime, vel nonnisi ex concessione cleri Romani, ad quem integra electio pertinebat (vide *loco citato*). Ejusmodi autem concessiones a Sede Apostolica sublatæ sunt. Igitur tria dicta gubernia non potuerunt prætenso illi imperatorum juri succedere. Præterea, cur tria hæc gubernia, potius quam alia successissent?

Propositio IIIª. — *Exclusiva nequidem est privilegium dictis guberniis expresse a Sede Apostolica concessum.* — Nullibi enim extat ejusmodi concessio. Quam tamen si quis Romanus Pontifex elargitus fuisset, eam multoties ista gubernia tanquam prærogativæ suæ fundamentum allegassent. In opere *Dictionnaire encyclopédique de la théologie*, verbo *Exclusion*, dicitur expressam mentionem de *exclusiva* fieri a Gregorio XV, in bulla *Æterni Patris*, § 18; sed erronee. Non enim is est sensus allegati paragraphi.

Propositio IVª. — *Cardinalium collegium non sese obligatum existimavit ad deferendum ejusmodi exclusionibus, per præfata gubernia transmissis.* — Sæpe quidem abstinuit ab eligendis sic exclusis cardinalibus. At pluries etiam eos ipsos elegit, prout constat factis citatis apud Moroni (*Dizionario di erudizione... verbo Esclusiva*). Quod tamen nunquam contigisset, si exclusivam Cardinales habuissent tanquam jus dictorum guberniorum, vel etiam tanquam merum privilegium ipsis a Sede Apostolica concessum.

Propositio Vª. — *Exclusiva non nititur nisi meris factis ex parte guberniorûm, et mera tolerantia ex parte auctoritatis ecclesiasticæ.* — Sequitur ex præcedentibus.

Propositio VIª. — *Ratio tolerandæ exclusivæ hodiernis temporibus omnino desiisse videtur.* — Ratio enim illa fuit quod dicta gubernia, non tantum sese catholica, sed etiam præcipuos Ecclesiæ catholicæ defensores profiterentur. Ast hodie Galliæ gubernium, quatenus tale, non magis se catholicum quam musulmanum profitetur. Et invecta pariter in Austriam et Hispaniam libertas cultuum. Nec ullam obligationem dicta gubernia jam agnoscunt præstandi ad jussum supremæ auctoritatis ecclesiasticæ brachii sæcularis auxilium. Hinc merito in opere *Dictionnaire encyclopédique de la théologie, par des docteurs allemands* (verbo *Exclusion*) : « Que signifie ce droit d'exclusion exercé encore de nos jours par l'empereur d'Autriche, par les souverains de France et d'Espagne, si ces princes ne sont plus réellement les protecteurs de l'Église? Ils n'ont évidemment plus de motif pour soutenir leur prétention. »

PARS VIII

DE CONCILIO ŒCUMENICO

Dicemus : 1° de concilii œcumenici natura; 2° de ipsius auctoritate; 3° de celebratis hactenus conciliis œcumenicis.

CAPUT I

DE NATURA CONCILII ŒCUMENICI.

Quid sit concilium œcumenicum, et quæ ad proprie dictam œcumenicitatem conditiones requirantur, expenditur sequenti paragraphorum serie.

§ 1. — De Concilii œcumenici definitione.

I. *De concilii et synodi nomine.* — Vox latina *concilium* necnon vox græca *synodus*, idem sonat ac plurium in unum locum, alicujus rei tractandæ gratia, conventus. Et olim quidem adhibita utraque vox ad *civiles* etiam conventus designandos. At jam dudum obsolevit is sensus; ita ut concilii ac synodi nomine nonnisi *ecclesiasticæ* adunationes intelligantur (confer meum tractatum *de Concilio provinciali*, parte I, cap. I).

II. *De variis conciliorum speciebus.* — « Sunt autem quatuor genera conciliorum. Quædam enim sunt generalia, quædam

nationalia, quædam provincialia, et quædam diœcesana... *Generalia* dicuntur ea quibus interesse possunt et debent Episcopi totius orbis, nisi legitime impediantur, et quibus nemo recte præsidet nisi summus Pontifex aut alius ejus nomine. Inde enim dicuntur œcumenica, id est, orbis terræ totius concilia. — *Nationalia* dicuntur in quibus conveniunt Archiepiscopi et Episcopi unius regni vel nationis, quibus præest aliquis patriarcha vel primas; qualia sunt multa concilia Romana, Toletana, et Africana; de quibus illud notandum est : ea, licet sint revera distincta a generalibus et provincialibus, tamen utrorumque nominibus interdum appellari... — *Provincialia* dicuntur, in quibus conveniunt tantum Episcopi unius provinciæ, quibus præest archiepiscopus sive metropolitanus... — *Diœcesana* sunt in quibus conveniunt tantum presbyteri unius episcopatus; et iis Episcopus præest... Vix dici possunt concilia cum in eis ordinarie nullus sit qui jurisdictionem habeat, præter unum Episcopum qui præest. » (Bellarminus, *de Conciliis*, l. I, c. IV.)

III. *De recta definitione conciliorum in genere.* — 1° Ut recte definiantur concilia in genere, debet definitio exprimere concilia esse coadunationes *Episcoporum*. Etsi enim primitus vox *concilium* ad designandos etiam aliarum personarum conventus usurpata fuerit, a multis tamen sæculis, usu generali, ad solos *Episcoporum cœtus* restricta fuit. Igitur qui vocem illam ad aliud designandum transferret, quam *Episcoporum adunationem*, arbitrariam nec proinde rectam definitionem traderet. E contra tanquam genus in definitione recte ponitur : *Episcoporum adunatio seu conventus;* quia, stante dicto generali loquendi usu, quodlibet concilium est revera Episcoporum adunatio; et nisi hoc sit, concilium non est. — Si quis objiciat diœcesanam synodum sub variis conciliorum speciebus comprehendi, etsi non pluribus adunatis Episcopis constet, respondeo : diœcesanam synodum nec esse proprie, nec recte dici concilium. Usus nempe obtinuit ut solo-

synodi nomine designetur; dum concilia, œcumenica, nationalia et provincialia, indifferenter vel concilia vel synodi vocari solent. Igitur, dum enumerantur variæ conciliorum species, mentio quidem fieri solet etiam de diœcesana synodo, sed adnotando illam non esse proprie concilium, ea præcise de causa quod non sit plurium Episcoporum adunatio.

2° Item ut recte definiatur concilium in genere, exprimi debet coadunari Episcopos *ad tractanda negotia ecclesiastica.* Enimvero Episcoporum adunatio quæ in alium finem fieret, quam de negotiis ecclesiasticis deliberandi ac decernendi, hoc ipso non esset concilium; hoc siquidem nomine, ex generali loquendi usu, non alia intelligitur Episcoporum congregatio, quam quæ negotiorum ecclesiasticorum tractationem pro scopo habet. Derideretur sane qui adunatos ad prandendum Episcopos *concilium* vocaret.

3° Insuper exprimendum est congregari Episcopos non solum ad deliberandum, sed etiam ad *judicandum et statuendum de negotiis ecclesiasticis*. Si quis princeps plures Episcopos accerseret, et ab unoquoque sententiam quoad aliquod negotium ecclesiasticum posceret, conventus iste nequaquam concilium foret. Licet enim isti Episcopi adunarentur ad deliberandum de negotio ecclesiastico, non tamen ut propria auctoritate de negotio illo judicarent vel statuerent.

4° Contingere potest ut illegitime adunentur Episcopi ad judicandum seu statuendum de rebus ecclesiasticis. Porro ejusmodi adunationes illegitimæ, non *concilia* vocari solent, sed *latrocinia*. Unde ut recta sit definitio, exprimi etiam debet legitima auctoritate factam adunationem.

5° Concilium in genere recte definiri potest: *Legitima Episcoporum adunatio, ad judicandum vel statuendum de rebus ecclesiasticis.* Convenit definitio hæc tum œcumenicis, tum nationalibus et provincialibus conciliis, ut per se patet. Non autem convenit diœcesanæ synodo, quæ, ut diximus, non est proprie concilium.

IV. *Quomodo recte definiri possit concilium œcumenicum.* — 1° Græca vox *œcumenicus* idem sonat ac latina *universalis.* Quædam nempe concilia *œcumenica* dicta sunt ut significaretur Episcopos *ex toto orbe* vocatos ad illud convenisse. Unde, attenta dumtaxat vi vocis, œcumenicum dicendum non esset concilium, nisi ei omnes omnino catholici orbis Episcopi per se, vel saltem per procuratores, interfuissent. Sed, attento sensu a primis Ecclesiæ sæculis constanter recepto, œcumenicum est et dici debet concilium (posito quod cætera requisita non desint), cui multi Episcopi nec per se nec per procuratorem interfuerunt, dummodo vocati omnes fuerint, et aliqui ex majori parte christianarum provinciarum de facto convenerint. Constat quatuor primis conciliis quæ in tota Ecclesia semper pro œcumenicis habita sunt. Nam primo Nicæno interfuerunt dumtaxat ex Italia presbyteri duo, ex Gallia unus Episcopus, unus ex Hispania, et unus ex Africa. Ad secundum autem et tertium concilium œcumenicum, nulli ex Occidente accesserunt; sed Damasus et Cœlestinus Pontifices illa confirmarunt, tum nomine suo, tum nomine aliorum Episcoporum Occidentis, quos ipsi Romæ collegerant; atque id satis fuit ad œcumenicitatem. In quarto concilio præsentes fuerunt ex Occidente soli Legati Leonis; sed idem Leo Papa consensum transmisit Hispaniæ, Galliæ et Italiæ Episcoporum, qui celebratis provincialibus conciliis ad eum scripserant, se in omnibus sententiam ejus sequi. Igitur conciliorum *œcumenicitas*, prout in Ecclesia semper intellecta fuit et intelligi debet, non est *materialis* œcumenicitas consistens in adunatione *omnium* omnino totius orbis Episcoporum, per se vel per procuratores intervenientium; sed est *moralis* dumtaxat œcumenicitas, qua, per Episcopos adunatos, omnes aut fere omnes ecclesiasticæ provinciæ repræsentari censendæ sunt. Unde in definiendo concilio œcumenico, non prior, sed posterior œcumenicitas describenda est.

2° Præterea, juxta sensum in Ecclesia catholica constanter

receptum, ad constituendam proprie dictam seu *perfectam œcumenicitatem*, non satis est per adunatos Episcopos repræsentari ecclesiasticas omnes provincias, etiamsi fere omnes ex unaquaque provincia Episcopi convenerint; sed insuper necesse est in concilio repræsentari totius Ecclesiæ caput Romanum Pontificem, ejusque assensum concilii actis accedere. Concilia enim ab apostolica sede reprobata, pro œcumenicis non habentur, nec hoc nomine vocari solent, quamvis œcumenica fuerint hoc sensu quod fere omnes omnium Ecclesiasticarum provinciarum Episcopi intervenerint. Œcumenicitas nempe, ex sensu generaliter recepto, involvit etiam concilii auctoritatem, ex accedente Romani Episcopi assensu. Unde perperam loqueretur, qui inter œcumenica concilia illas etiam enumeraret synodos, quarum acta et decreta rejecit ac reprobavit Sedes Apostolica, quantumvis (attento solo grammaticali vocis sensu) œcumenicæ fuerint. Item concilia (vacante Sede Romana, aut pluribus de papatu contendentibus quin verus dignosci valeat Pontifex), absque Romani Pontificis interventu celebrata, et legitima esse possunt, et œcumenica in grammaticali vocis sensu. Non tamen simpliciter seu *perfecte œcumenica* recte dici possunt, sed *imperfecte œcumenicis* sunt adnumeranda. Igitur distinguendum est concilium proprie seu *perfecte œcumenicum*, a concilio *imperfecte œcumenico;* et posterius in legitimum vel illegitimum subdividendum. In definienda autem œcumenica synodo, describenda est solummodo *perfecte œcumenica;* quia dum simpliciter et sine addito agitur de *œcumenica* synodo, id de perfecta œcumenicitate intelligendum est.

3° Nonnulli auctores *œcumenicum* inter et *generale* concilium discrimen aliquod ponunt. Ita nempe ut *generalis* concilii denominatio involvat, tum eas synodos quas perfecte œcumenicas, tum eas etiam quas imperfecte œcumenicas diximus; concilii autem *œcumenici*, non nisi perfecte œcumenicas designet. Sic verbi gratia theologi Wirceburgenses

(t. I, p. 142, Paris, 1852) : « Concilium ecclesiasticum dividitur in generale et particulare. *Generale* repræsentat universam Ecclesiam; atque hinc, ex etymo nominis, dicitur etiam plenarium et universale absolute; item *œcumenicum*: quæ tamen postrema appellatio, in sensu canonum, insuper *legitimum, approbatum et receptum* exprimit. » Nos *generalis* appellationem tanquam *œcumenici* synonimam habebimus. Et sicut *perfecte œcumenicum*, ita *perfecte generale* concilium ab *imperfecte generali* distinguimus.

4° His prænotatis, concilium œcumenicum recte definiri videtur hac formula : *Concilium universam Ecclesiam repræsentans, actis assentiente Romano Pontifice.* — Dicitur primo *concilium*; quæ vox, ex tradita superius definitione conciliorum in genere, æquivalet huic enuntiato : *Legitima Episcoporum adunatio ad statuendum de rebus ecclesiasticis.* — Dicitur secundo *universam Ecclesiam repræsentans;* quæ pars definitionis exprimit adesse imprimis debere, per se vel per legatos suos, totius Ecclesiæ caput Romanum Pontificem. Nam de fide est constitutum a Christo Romanum Pontificem, Ecclesiæ caput, pastorem, patremque ac rectorem. Proinde sicut non repræsentatur integre corpus humanum si desit caput, nec ovile si desit pastor, nec familia si desit pater, nec regnum si desit Rex, ita si absit Romanus Pontifex, non repræsentabitur universa Ecclesia, siquidem deerit præcipua illa pars, quam Christus voluit esse huic mystico corpori caput, et huic mystico ædificio fundamentum. Nec dicatur dari posse, dum vacat Romana Sedes, concilium legitimum ac œcumenicum absque Papa; proinde necessarium non esse in concilio Papam, ut repræsentetur universa Ecclesia. Nam legitimum quidem esse potest dictum concilium; at numquam erit aut merito dici poterit *perfecte œcumenicum*. Debebit e contra vocari imperfecte seu minus proprie œcumenicum, ex illa præcise ratione quod absit Papa. In definitione non posuimus *præsidente Romano Pontifice*, quia id sufficienter exprimitur

his verbis *universam Ecclesiam repræsentans*. Ut nempe concilium repræsentet universam Ecclesiam, debet in eo adesse, et quidem tanquam caput seu præses Romanus Pontifex. Sed dictæ voces *universam Ecclesiam repræsentans*, exigunt insuper ut adsint aliqui saltem ex majori parte provinciarum ecclesiasticarum Episcopi. Nisi enim major saltem pars provinciarum ecclesiasticarum per aliquos Episcopos repræsententur, nec repræsentabitur universa moraliter Ecclesia. — Dicimus tertio : *Actis assentiente Romano Pontifice.* Quamvis enim præsideat Papa, et convenerint ex omnibus ecclesiasticis provinciis Episcopi, si Papa decretis concilii assensum deneget, decreta hæc omni robore ac valore carebunt, ac nullius auctoritatis erit ejusmodi concilium. Porro, ut dictum est supra, non ex grammaticali, sed ex recepto generaliter vocis *œcumenici* sensu, hoc nomine non comprehenditur concilium a Sede Apostolica rejectum seu non approbatum. Ergo ad perfectam seu propriedictam œcumenicitatem requiritur ut concilii decreta Romani Pontificis assensum obtinuerint.

§ 2. — An concilia œcumenica sint institutionis divinæ, vel ecclesiasticæ.

1° De institutione conciliorum in genere sic habent theologi Wirceburgenses : « Institutionem *humana majorem* probat, tum apostolorum factum, quo plura Hierosolymæ alibique concilia celebrarunt, et in illius *actuum* 15 coacti definitione edixerunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis;* — tum argumentum a minori ad majus ex verbis Christi (Matth., XVIII, v. 20), deductum a Cœlestino I in epistola ad synodum Ephesinam, et a concilio Chalcedonensi, actione 10, in relatione ad Leonem ; — tum Ecclesiæ Christi paritas cum synagoga, in qua (ex Numerorum XI, v. 16, et Deuteronomii XVII, v. 8), ordinatione divina institutum Synedrion novimus » (tomo I, p. 144, Parisiis, 1852). Confer Suarez (*de fide*, disput. XI, n. 1).

Istæ tamen rationes non videntur divinam conciliorum institutionem rigorose probare. Nam quod Apostoli plura concilia celebraverint, contingere potuit etiam in hypothesi quod Christus nihil hac de re docuisset aut præscripsisset. Si valeret e praxi apostolorum ad divinam institutionem illatio, sequeretur institutionis divinæ fuisse quidquid apostoli peregerunt; quod manifeste falsum est. Item verba *Visum est Spiritui sancto et nobis* intentum non probant, quia referuntur, non ad factum celebrationis concilii, sed ad ritus judaicos de quibus disceptabatur. Pariter verba Christi *Ubi fuerint duo vel tres congregati...* (Matth., XVIII, v. 20), per se designant quaslibet fidelium in nomine Christi adunationes, atque ipsos etiam fœminarum ad orandum conventus, qui sane concilia non sunt. Quod autem Patres verba hæc de conciliis specialiter intellexerint, est gravissimum e traditione argumentum, ut mox dicetur.

2° Concilia non sunt institutionis divinæ quoad celebrationis modum aut tempus. — Nam si Christus apostolis præscripsisset, verbi gratia, concilii œcumenici celebrationem quolibet quinquennio aut decennio, concilii vero provincialis quolibet biennio aut triennio, vel quid simile, de hoc divino præcepto frequentem mentionem exhiberent antiqua monumenta, et regulariter celebratas synodos statutis a Christo temporibus historia ecclesiastica testaretur. Idem dic de modo seu de forma qualibet non substantiali. Porro secus sese res habet.

3° Concilia sunt institutionis divinæ quoad substantiam. — Nam concilia, fuerunt *de facto* præcipuum, post supremam Romani Pontificis potestatem, gubernandæ Ecclesiæ medium : atqui factum istud divinam institutionem arguit : ergo. — Probatur major : « Semper enim, ait Bellarminus, fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas concilia Episcoporum haberentur. Et ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim novam sine novo concilio dam-

naverunt, ut cognoscere poterit qui vel tomos conciliorum, vel historias ecclesiasticas evolvere voluerit » (*de Conciliis*, l. I, c. XI). Igitur post supremam Romani Pontificis auctoritatem, *præcipuum* regendæ universalis Ecclesiæ medium fuit revera conciliorum, sive generalium sive particularium, celebratio. Estque factum istud certissimum. — Probatur minor, videlicet ex isto facto merito argui divinam conciliorum institutionem. Nam supponi nequit Christum Petro et aliis apostolis non revelasse *præcipua* saltem media quibus Ecclesiam suam regi ac gubernari volebat. Alioquin enim *præcipua* illa media de jure dumtaxat humano forent, totumque mirabile illud Ecclesiæ Christi regimen sola humana sapientia et institutione inniteretur. Falsum id quoad *præcipuum* regiminis medium, Romani Pontificis jurisdictionalem primatum seu plenam gubernandi potestatem; siquidem *de fide est* a Christo ipsi in Beato Petro collatam fuisse monarchicam illam auctoritatem. Divinæ autem sapientiæ non congrueret, quod revelato illo *præcipuo* medio, aliud præcipuum, quo regi Ecclesiam suam volebat, non revelasset; præsertim cum, si ex solo rationis lumine illud posterius apostolis instituendum reliquisset, facile omisissent, ne scilicet revelatæ successorum Petri monarchicæ potestati officeret. Hæc nempe duo, Pontificis simul et concilii œcumenici suprema potestas, nisi Christus revelasset, humanum ingenium non excogitasset nec instituisset. Cæterum, etsi expresse in sacris litteris non occurrat divina conciliorum institutio, occurrit tamen obumbrata, ubi Christus dicit apostolis simul cum Petro adunatis *quodcumque solveritis*, etc... Sicut enim Petro seorsim sumpto dicens *quodcumque* solveris, supremam ejus in Ecclesia potestatem instituebat, ita Petri simul et aliorum apostolorum cœtui dicens *quodcumque solveritis*, etc., Episcoporum adunationibus seu conciliis potestatem conferebat et Episcopos in his conciliis judices instituebat. Accedit Patrum auctoritas. Ipsis enim frequens fuit de conciliis præcipue interpretari verba

Christi *quando duo aut tres congregati...*, et sic conciliorum usum divinæ institutioni adscripserunt.

4° Quæ diximus de divina institutione conciliorum in genere, concilio œcumenico, utpote præcipuo applicanda sunt, ut patet.

5° Opinionem de humana conciliorum institutione sic rejicit Bellarminus : « Hanc autem originem conciliorum, etsi Albertus Pighius (lib. VI, *de Cœlesti Hierarchia*, cap. I), contendat esse plane humanam et naturali ratione excogitatam, probabilius tamen est divinam esse. Nam... » (*de Conciliis*, l. I, c. III). Suaresius sic habet : « Nec enim placet quod Pighius... sentit, congregationem horum conciliorum esse ex humana institutione, nisi forte intelligat quantum ad tempus et ordinationem, vel quia non est fortasse simpliciter ex præcepto divino ut hæc concilia congregentur » (*de fide*, disput. undecima, n. 1).

§ 3.— An concilia œcumenica sint necessaria, vel tantum utilia.

Propositio Iª. — *Quando res aliqua* necessaria *dicitur, nisi simul dicatur aut ex adjunctis intelligi possit*, ad quid *res ista necessaria pronuntietur, locutio sensum non habet.* — Nam voces istæ, *necessarius*, *utilis*, *similis*, et aliæ hujusmodi, relationem exprimunt; nec proinde sensum habent nisi exprimatur, vel saltem ex adjunctis subintelligi possit uterque relationis terminus. Verbi gratia, si dicatur de juvene, *illum esse similem*, locutio sensum non habet. Si vero dicatur *illum esse similem patri suo*, sensum habet. Item si quis dicat, *mihi navicula necessaria est*, absone loquitur. Si vero addat, *ad trajiciendum flumen*, locutio determinatum sensum habet, potestque esse vera vel falsa. Vera erit si nullum aliud præsto sit medium perveniendi ad alteram fluminis ripam. Falsa erit, si flumen trajicere possit, vel natando, vel per pontem non adeo longe positum transeundo. Igitur quæstio præsens non proponenda

est his terminis, *an concilia œcumenica necessaria sint;* quia sic multis æquivocationibus obnoxia est, et sensum determinatum non habet; sed ponenda et expendenda est sub hac forma, *an ad hoc vel illud necessaria sint.* Notandum insuper, rem aliquam, relative ad obtinendum aliquem determinatum effectum, necessariam dici posse duplici sensu : 1° eo sensu quod sine ista re dictus effectus obtineri nequeat; 2° eo sensu quod res necessaria solummodo sit ad effectum *melius* et *facilius* obtinendum, quamvis absque illa possit absolute obtineri. Posterior autem necessitas, quæ non est nisi ad *melius* et *facilius*, est idipsum quod vocatur *utilitas*. Prior vero est in stricto sensu necessitas.

Propositio IIª. — *Potest Papa, sine concilio œcumenico, omnes fidei controversias dirimere cum auctoritate* plena, *seu qua major esse nequeat.* — Nam de fide est, utpote a concilio Florentino expresse definitum, *ipsi* (Romano Pontifici) *in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo* plenam *potestatem traditam esse* (Labbe, t. XIII, col. 515, Parisiis, 1672). Porro *plena* non foret Papæ potestas Ecclesiam pascendi et regendi, si ad *omnes* fidei controversias dirimendas non extenderetur. Enimvero si ad aliquas dirimendas impar esset papalis auctoritas, et necessario ad concilium œcumenicum esset recurrendum, Papa non recepisset *plenam* potestatem docendi et regendi universam Ecclesiam, sed accepisset dumtaxat *partem* illius potestatis; et altera *pars* non ipsi quatenus seorsim a concilio œcumenico definienti, sed soli generali concilio competeret. Igitur doctrina quæ *necessarium* asserit concilium œcumenicum ad dirimendas cum plena auctoritate aliquas fidei controversias, erronea est et prorsus rejicienda. — Præterea, eadem Florentina synodus definivit Romanum Pontificem *omnium christianorum patrem ac doctorem existere* (loco citato). Porro doctor omnium christianorum non esset, si non posset *omnes* fidei controversias dirimere. Non enim revelavit Christus catalogum controver-

siarum quæ a Papa, et earum quæ a solo concilio œcumenico dirimi possint. Ergo quoties Papa circa fidem pronuntiaret, merito dubitaretur an decisio auctoritatem ipsius excederet, utpote circa controversiam quæ forte a solo concilio œcumenico dirimi potest. Quo stante dubio, decisio Papæ nihil dirimeret. Igitur vel *omnes* fidei controversias Papa dirimere potest absque concilio œcumenico, vel *nullas*. Falsum posterius, quia tunc non esset omnium christianorum doctor; ergo verum prius. — Præterea officium fratres in fide confirmandi commisit Christus Romano Pontifici; estque id dogma catholicum. Porro si qua daretur controversia fidei, quam Papa non posset sine concilio œcumenico dirimere, quoad controversiam istam non ab ipso fratres confirmari deberent, sed ipse a fratribus. Siquidem ipse non posset, quoad controversam quæstionem, veram fidem certo cognoscere nisi ex judicio Episcoporum in generali concilio coadunatorum. Igitur officium fratres confirmandi non fuisset Romano Pontifici collatum quoad *omnes* fidei controversias, sed dumtaxat quoad *aliquas*. Cumque Christus non distinxerit, sed istam propositionis universalis formam adhibuerit, *confirma fratres tuos*, sequeretur divinum hoc effatum veritate carere.

Propositio III^a. — *Contingere nequit ut Papa careat lumine ad definiendam sine concilio œcumenico aliquam fidei controversiam, ita ut necessarium sit concilium œcumenicum ut dicta controversia dirimi possit.* — Nam, ex præcedenti propositione, Papæ competit potestas sine concilio œcumenico dirimendi *omnes* fidei controversias. Si nempe aliquam dirimere non posset, jam *plena* non foret, prout definivit Florentina synodus, ejus potestas universam Ecclesiam pascendi, regendi ac gubernandi. Item falso ipsi in persona Beati Petri dictum fuisset, *confirma fratres tuos...*; *Pasce agnos*, *pasce oves*. Jam vero si Papa possit *omnes* fidei controversias sine concilio œcumenico dirimere, repugnat necessarium esse concilium œcumenicum ad aliquam fidei controversiam dirimendam.

Hinc errorem recondit sequens dictum Cardinalis du Perron (citatum in diario *l'Univers*, 19 juillet 1869, col. 8) : « L'infaillibilité qu'on attribue au Pape, comme au tribunal souverain de l'Église, ne veut pas dire qu'il soit assisté de l'Esprit de Dieu pour avoir directement sa lumière nécessaire à décider toutes les questions; mais son infaillibilité consiste en ce que toutes les questions auxquelles il se sent assisté d'assez de lumières, il les juge; et les autres auxquelles il ne se sent pas assez assisté de lumières pour les juger, il les remet au concile. » Ex iis nempe verbis sequeretur dari posse fidei controversias, quæ non nisi a concilio œcumenico dirimi possent, et pro quibus ipse Papa deberet ab ovibus suis veram fidem edoceri, et a fratribus in fide confirmari; quod sane prorsus erroneum est. Erroneum pariter Thomassini effatum : « Ne nous battons plus pour savoir si le concile œcuménique est au-dessus ou au-dessous du Pape. Contentons-nous de savoir que *le Pape au milieu du concile est au-dessus de lui-même*, et que le concile décapité de son chef est au-dessous de lui-même[1]. » Auctoritas Papæ decernentis cum generali concilio, non est intensive major nec minor auctoritate Papæ decernentis sine concilio, sed est ipsi æqualis, prout probatum est supra, parte III. Igitur falsum omnino est Papam in concilio esse *supra seipsum*. Non est supra, nec infra. Et ideo potest Papa, extra concilium, immutare disciplinam a Papa in concilio œcumenico decretam. Quod sane non posset si major foret in concilio quam extra concilium ipsius auctoritas; quia nequit auctoritas minor abrogare vel immutare legem superioris, aut in ea dispensare.

Propositio IV^{a}. — *Concilium œcumenicum non est necessarium ad dirimendas aliquas fidei controversias, quas Papa non possit sine concilio œcumenico cum plena auctoritate dirimere.* — Sequitur ex præcedenti propositione. Si enim contingere nequeat ut Papa careat lumine ac potestate ad dirimendam ali-

[1] Citatum in diario *l'Univers*, 19 juillet 1869.

quam fidei controversiam, hoc ipso contingere non poterit ut synodus œcumenica sit ad hoc ipsum necessaria.

Propositio Vª. — *Concilium œcumenicum non est necessarium ut errores et hæreses damnentur cum plena, seu qua major esse nequeat auctoritate.* — Nam propositiones damnare ut erroneas aut hæreticas, est dirimere controversias fidei. Porro, ex præcedenti propositione, ut dirimantur cum plena auctoritate controversiæ fidei, necessarium non est concilium œcumenicum, sed sufficit collata Romano Pontifici auctoritas. — Præterea ex supra citata concilii Florentini definitione, Romano Pontifici jure divino competit *plena* potestas universam Ecclesiam docendi, regendi atque gubernandi. Porro talis prærogativa includit jus hæreses damnandi ut patet, et quidem cum potestate *plena* seu qua existere nequeat major, seu magis conscientias constringens.

Propositio VIª. — *Concilium œcumenicum non est necessarium ut schismata proprie dicta damnentur auctoritate plena, seu qua major esse nequeat.* — Schismaticos *proprie dictos* vocamus eos qui certe legitimo Romano Pontifici obedire renuunt. Dissensiones autem quæ orirentur inter catholicos quando plures de papatu contendunt, et certo non liquet quis sit verus et legitimus Pontifex, nonnisi improprio sensu schismata sunt. Nam tunc omnes in eo concordant quod velint vero ac legitimo Papæ adhærere, non autem intruso. Et dissentiunt dumtaxat in quæstione an legitimus is aut ille sit. Quod autem Papæ non desit *plena* seu qua major esse nequeat potestas schismaticam pronuntiandi aliquam agendi rationem, et fideles omnes obligandi ut pro schismaticis habeant quos ut tales Sedes Apostolica damnaverit, aperte sequitur ex *plena* universam Ecclesiam regendi, pascendi et gubernandi potestate, qua donatum a Christo fuisse Papam definivit Florentina synodus. — Item ex plena potestate quæstiones dogmaticas dirimendi; siquidem an talis agendi ratio sit necne schismatica, est quæstio dogmatica.

Propositio VII^a. — *Concilium œcumenicum non est necessarium ut abusus et vitia proscribantur auctoritate plena, seu qua major esse nequeat.* — Nam concilii œcumenici auctoritas non est intensive major auctoritate Pontificis extra concilium decernentis, prout fuse parte tertia probavimus. Ergo decretum reformationis a Papa promulgatum nititur auctoritate, quam concilium œcumenicum majorem reddere nequit. Aliunde autem Papæ potestas in regenda Ecclesia est *plena*, ut definivit Florentina synodus, necnon *suprema*, ut illam vocavit concilium Tridentinum. Ergo, ut proscribantur abusus cum auctoritate plena, seu suprema, seu qua major dari nequit, necessarium non est concilium œcumenicum.

Propositio VIII^a. — *Concilia œcumenica non sunt necessaria ad hoc ut Ecclesia subsistat, seu non pereat.* — Ab actu ad posse valet consecutio. Atqui per tria prima sæcula nullum celebratum est concilium œcumenicum; et quamvis eo temporis tractu conquassata fuerit Ecclesia multis hæresibus ac schismatibus, abusibus et vitiis multis, non tamen periit. Item deinceps per magna temporis spatia subsistere potuit Ecclesia sine concilio œcumenico, siquidem non nisi octodecim hactenus celebrata sunt concilia œcumenica : ergo. — Præterea dicta necessitas propugnaretur, vel eo sensu quod concilium œcumenicum deberet esse permanens, ita ut desinere seu interrumpi non posset quin statim Ecclesia deficeret, vel eo sensu quod nisi per certa saltem temporis intervalla celebraretur, secuturus necessario foret Ecclesiæ interitus. Porro utrumque absonum. Imprimis ut Ecclesia subsistat necessarium non est concilium œcumenicum permanens, siquidem ab octodecim sæculis extitit absque ullo permanenti concilio œcumenico. Nec magis necessaria dici potest celebratio concilii œcumenici per certa temporis intervalla. Non enim posset brevius intervallum assignari quam trium sæculorum; siquidem ante primum œcumenicum concilium effluxerant anni 325; et ab incepto ultimo, nempe Tridentino, jam effluxe-

runt anni 314. Igitur qui propugnaret interituram Ecclesiam nisi per intervalla celebrentur synodi œcumenicæ, concedere tamen deberet, posse Ecclesiam per tria saltem sæcula sine concilio œcumenico vivere. Porro si Ecclesia per trium sæculorum tractum carere possit œcumenica synodo quin pereat, nulla potest assignari rationabilis causa cur perire debeat si absque conciliis œcumenicis elabantur quatuor, vel decem, vel etiam octodecim sæcula. Enimvero causa illa desumeretur vel ex natura Ecclesiæ et concilii œcumenici, vel ex aliqua Christi sic decernentis ordinatione. Atqui neutrum dici potest. Nam id quod est essentiale alicui rei, numquam ab ista re abesse potest. Igitur si ex natura seu essentia sua synodum œcumenicam Ecclesia requireret, illam requireret quolibet temporis articulo, et nec vel una hora sine isto requisito subsistere posset. Nec objiciatur ad vitam hominis requiri cibum per intervalla, licet non requiratur omni hora; et a pari Ecclesiæ necessarias esse synodos œcumenicas, licet eis carere possit per aliquod temporis intervallum. Respondetur, per carentiam cibi, ultra certos terminos protractam, destrui statum corporis ad vitam necessarium. Sed per carentiam concilii œcumenici nihil in Ecclesia destruitur ad vitam ipsius requisitum. Quod autem attinet ad ordinationem Christi, statuentis ut tertio quoque ad minus sæculo synodus œcumenica celebretur, alioquin ipso facto extinguendam Ecclesiam, ad somnia prorsus rejiciendum est; cum in sacris litteris aut Patrum traditione nihil occurrat quo vel minimum innuatur talis ordinatio. Igitur nequaquam necessaria sunt concilia œcumenica ad hoc ut Ecclesia subsistat seu non pereat.

Propositio IXª. — *Necessarium non est concilium œcumenicum ad hoc ut non violetur præceptum Christi conciliorum œcumenicorum celebrationem injungentis.* — Nam talis præcepti ne vestigium quidem ullibi extat.

Propositio Xª. — *Concilium œcumenicum potest esse, non tantum utile, sed etiam stricte necessarium ad hoc ut hæretici vel*

schismatici ad sinum Ecclesiæ de facto reducantur, vel saltem grassari et Ecclesiam exagitare desinant. — Nam ob errores a teneris imbibitos ac varias circumstantias, possunt isti hæretici ac schismatici esse hic et nunc animo ita comparati, ut si solus Papa ipsos viam perditionis currere pronuntiet, id nihili facturi sint, immo forsan et ignoraturi : si vero idem pronuntietur a concilio œcumenico, id mentem ipsorum percellat, et ipsis occasio sit expendendi num revera penes catholicos vera fides sit, et agnoscendi tandem ac abjurandi errorem suum. Enimvero celebrari nequit concilium œcumenicum, quin de hoc facto fama quaslibet (hæreticas etiam et schismaticas) regiones pervadat. Neque possunt sectarum duces ac ministri impedire ne factum ejusmodi etiam infimæ plebi innotescat, et doctos simul ac indoctos attentos reddat. Dum e contra, si agatur de bulla dogmatica, extra concilium a Romano Pontifice promulgata, iidem sectarum duces ac ministri, vel artibus suis procurabunt ignotam multitudini remanere, vel falsis suis commentationibus despiciendam persuadebunt. Præterea, quamvis penes concilium œcumenicum non extet auctoritas *intensive* major quam in solo Papa, extat tamen major *extensive;* id est, auctoritas hæc per plures exercetur. Porro ita sunt homines natura comparati, ut eos valde percellat ingens judicantium numerus, præsertim si præcipuæ doctrinæ sint et ex toto orbe vocati. Et quamvis dicti hæretici et schismatici, post conversionem suam, *plenam* confessuri sint Papæ auctoritatem, nec minorem auctoritate concilii œcumenici, tamen verum remanebit, concilium œcumenicum ipsorum conversioni occasionem fuisse; quod nisi celebratum fuisset, in hæresi aut schismate remansissent. Ergo revera contingere potest, ut concilium œcumenicum sit stricte necessarium ad hoc ut de facto hujus aut illius regionis hæretici aut schismatici ad Ecclesiæ sinum reducantur. Ex iisdem autem rationibus necessarium etiam esse potest concilium œcumenicum ad hoc ut hæretici grassari et Ecclesiam exagi-

tare desinant. Ob publicam nempe in concilio confutationem, et subsequentem confusionem, vilescunt et viribus ad seducendas plebes destituuntur. Qui effectus possunt non sequi ex sola Papæ definitione, licet non minor sit hujus quam concilii œcumenici auctoritas.

PROPOSITIO XI^a. — *Concilium œcumenicum potest esse, non tantum utile, sed etiam stricte necessarium, ad hoc ut de facto evellantur aliqui errores inter catholicos exorti, quin errantes extra Ecclesiam projiciantur.* — Agitur hic de erroribus quorum propugnatores non sunt formaliter hæretici, licet graviter peccent nisi bona fide excusentur; quales sunt, verbi gratia, quatuor articuli Gallicani anni 1682; qui licet pluries a Sede Apostolica reprobati sint, non tamen cum nota hæreseos. Equidem ad hoc ut isti errores cum plena et qua major esse nequeat auctoritate damnentur, et eorum propugnatores, nisi resipiscant, extra Ecclesiam projiciantur, necessarium non est concilium œcumenicum, sed sufficit Papæ auctoritas. Nam si Papa hæreticos definiret dictos articulos, hoc ipso isti errores ex Ecclesia efficaciter extirparentur; siquidem qui eis adhuc adhærerent jam in Ecclesia non essent. Sed necessarium esse posse dicimus concilium œcumenicum ad hoc, ut isti errores evellantur resipiscentibus omnibus aut fere omnibus eorum propugnatoribus, ita ut in hæresim seu extra Ecclesiam non proruant. Nam ex imbibitis regionis suæ opinionibus variisque aliis circumstantiis, possunt dictorum errorum propugnatores esse ita animo comparati ut, si pronuntiet concilium œcumenicum, obsecuturi sint, non autem si solus Papa pronuntiet; eo quod, verbi gratia, inter alios errores, sibi falso persuaserint infallibilem et supremam non esse in definienda fide Romani Pontificis auctoritatem. Quibus stantibus circumstantiis, non reducentur ejusmodi errantes sine concilio œcumenico. Ergo ad dictum effectum obtinendum, stricte necessarium esse potest concilium œcumenicum.

Propositio XII[a]. — *Ad efficacem abusuum ac vitiorum reformationem, non tantum utile, sed stricte necessarium esse potest concilium œcumenicum.* — Supponamus, verbi gratia, in ejusmodi abusus et vitia ipsos etiam multarum regionum Episcopos et clericos abreptos fuisse, prout contigerat sub sancto Gregorio septimo. Ob inveteratas pravas consuetudines, non repugnat ita comparatos existere magna ex parte animos, ut si solus Papa reformationem decernat, etsi sub pœnis gravissimis, non obsequantur; sin autem celebretur concilium œcumenicum in quo Episcopi reformationem promittant et cum Papa decernant, postea de facto eam in suis respective diœcesibus exequantur. Quibus stantibus circumstantiis, necessarium cum veritate dici poterit concilium, ad obtinendam generalem ejusmodi reformationem.

Propositio XIII[a]. — *Licet concilium œcumenicum stricte necessarium esse possit ad effectus in tribus ultimis propositionibus enumeratos, vera simul remanet communis Bellarmini et aliorum catholicorum scriptorum doctrina, nimirum concilia œcumenica non esse absolute necessaria.* — Nam dicti effectus non sunt ipsimet absolute necessarii ad hoc ut Ecclesia Christi subsistat et finem sibi proprium consequatur. Verbi gratia, quod alicujus regionis hæretici vel schismatici de facto ad sinum Ecclesiæ reducantur, est quidem summopere optandum; sed tamen si perseverent extra Ecclesiam permanere, non ideo Ecclesia diem extremum obibit. Idem dic de erroribus in propositione undecima, et de abusibus in duodecima memoratis. Igitur simul verum est concilium œcumenicum esse posse ad supra dictos effectus *absolute necessarium*, et nequaquam esse *absolute necessarium* ad hoc ut Ecclesia subsistat et assequatur finem sibi proprium, id est, prædeterminatum a Deo electorum numerum parturiat, alat, atque ad cœlum traducat.

Propositio XIV[a]. — *Absone a gallicani systematis propugnatoribus objiciuntur patrum textus, qui conciliorum œcumenicorum*

necessitatem asserere videntur. — Ejusmodi nempe textus Romani Pontificis infallibilitati sic opponunt : docent Patres concilia œcumenica esse aliquando necessaria; porro nunquam forent necessaria, si Romanus Pontifex infallibilitate potiretur; ipse siquidem controversias omnes dirimere posset. — Respondeo :

Sancti Patres necessarium concilium asseruerunt, non ad hoc ut Ecclesia non pereat, neque ad hoc ut controversiæ fidei plena et qua major esse nequeat auctoritate definiantur; sed solummodo ad hoc ut hæretici schismaticive ad sinum Ecclesiæ reducantur, vel certi abusus efficaciter reformentur. Quod patebit ejusmodi textus recensendo, prout eos commemoravit, verbi gratia, Bellarminus (*de Conciliis*, l. I, c. x).

1° Objicitur, sanctum Augustinum (libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum, c. xii) affirmasse, paucas quasdam hæreses fuisse, ad quas superandas necessarium fuerit concilium plenarium Occidentis et Orientis. — Respondeo : Necessarium concilium œcumenicum existimavit S. Augustinus ad hoc ut Ariana et paucæ aliæ hereses *superarentur ;* id est, ut grassari et Ecclesiam exagitare desinerent, sive convictis et resipiscentibus hæreticis, sive confusis saltem et jam ad seducendos simplices imparibus. Et nos etiam hoc sensu necessarium esse posse concilium œcumenicum diximus supra, propositione X^a^. At non dixit Augustinus controversias cum istis hæreticis non potuisse a Papa dirimi cum *plena* et qua major esse nequeat auctoritate. Item non dixit : nisi celebrata fuissent talia concilia œcumenica, Ecclesia periisset. Patet autem Augustini mens hoc eodem citato loco. Nam ibi simul scripsit hæresim Pelagianam aliasque plurimas sine concilio generali comprimi potuisse. Igitur concilii œcumenici ad comprimendas hæreses necessitatem non intellexit Augustinus in eo sensu, quod in solo concilio œcumenico extet infallibilis controversias fidei dirimendi auctoritas. Alio-

quin dixisset e contra Pelagianam hæresim nondum compressam fuisse.

2° Objiciuntur nonnulla quæ scripsit S. Augustinus in libris suis *de Baptismate*. Ad quos textus jam respondimus (parte secunda, sectione secunda, cap. I, propos. XVIII[a], tomo I, p. 337).

3° Objicitur a S. Leone (epist. XLIII ad Martianum) laudatum imperatorem, ex eo quod etiam ipse generalem synodum necessariam judicaret. Quæ verba testantur omnimodam Leonis persuasionem de necessitate concilii œcumenici, cui adunando tunc adlaborabat. — Respondeo : Concilii generalis *necessitatem* admisit S. Leo relative ad obtinendos effectus de quibus supra, propositionibus X, XI et XII; non autem eo sensu quod ipse non posset fidei controversias dirimere auctoritate plena, cui omnes obsequi tenerentur; nec eo sensu quod nisi celebraretur œcumenicum illud concilium, secuturus foret Ecclesiæ interitus.

4° Objicitur conflictus Cyprianum inter et Stephanum Papam de hæreticorum rebaptisatione. Quod nempe Stephanus decreto suo quæstionem finire voluerit et non potuerit; quodque finita non fuerit nisi a concilio œcumenico.—Vide responsum supra (parte II, sect. V, cap. IV).—Nonnullas alias objectiones solutas vide apud Bellarminum (*de Conciliis*, l. I, cap. X).

§ 4. — Ad quem pertineat concilium œcumenicum convocare.

Propositio I[a]. — *Concilia œcumenica legitime celebrari nequeunt sine auctoritate Romani Pontificis*[1]. — Probatur 1° ex ecclesiastica lege, quam in tota retro antiquitate viguisse constat. Postquam enarravit Socrates (*Hist. eccles.*, l. II, c. XVIII) celebratum ab Eusebianis concilium absque ullo Romani Pon-

[1] Hic non agitur de casu extraordinario quo plures de Papatu contenderent, et dignosci non posset legitimus Pontifex. In hoc casu posse legitime convocari concilium generale, licet non perfecte œcumenicum, dicitur infra.

ficis interventu, sic addit : *Etsi canon ecclesiasticus prohibeat ne præter Romani Episcopi sententiam Ecclesiæ statuant* (καίτοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ρώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν). Et capite præcedenti allegatus reperitur iisdem fere terminis idem canon ecclesiasticus, tanquam quid certissimum et apud catholicos extra omnem controversiam positum. — Item Sozomenes (lib. III, cap. x) narrat a sancto Julio I exprobratum Eusebianis, quod ipsum ad suum concilium non invitassent, et hanc ab ipso allegatam rationem : *Est quippe lex sacra pro nullis habenda esse quæcumque gesta fuerint præter sententiam episcopi Romanorum* (εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικόν ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ρωμαίων ἐπισκόπου). — De illa lege mentionem etiam reperies apud Nicephorum (lib. IX, cap. v). — Notetur autem verba hæc, μὴ δεῖ ἐκκλησίας κανονίζειν, idem apud græcos significasse, quod latini hac formula exprimebant, *non posse concilia celebrari*. Quod patet ex modo quo reprehensos a Julio I Eusebianos enarrat Socrates. Reprehendit nempe Pontifex, quod concilium absque ipsius assensu celebrassent; atque ut probet id perperam factum, adducit canonem, *præter sententiam Romani Episcopi*, μὴ δεῖν ἐκκλησίας κανονίζειν. Porro nisi sensus foret, absque Romani Ponticifis auctoritate *celebrari legitime non posse concilia*, ratiocinium Julii stultum esset, prout adnotavit Bellarminus (*de Conciliis*, l. I, c. xii). Præterea perpetuo viguit apud latinos eadem lex ecclesiastica, sub istis aut æquivalentibus terminis : *Sine auctoritate Romani Episcopi non posse concilia celebrari*, prout constat mox adducendis textibus. Igitur viguit revera dicta lex et persuasio, in tota retro antiquitate.

Probatur 2° : Romanorum Pontificum praxi et auctoritate. — Leo IX, constitutione *Cum ex eo* : « Nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale concilium celebrari. » — Pius II constitutione *in minoribus* : « Inter concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice, absque ipsius auctoritate con-

venerit; quia non est corpus Ecclesiæ absque capite, et omnis ex capite defluit in membra potestas. » — Gregorius II synodum 300 Episcoporum, ab imperatore Leone Isauro Constantinopoli convocatam anno 730, reprobavit ex ea ratione, quod sine Romani Episcopi auctoritate celebrata fuisset. — Eadem de causa Stephanus IV, anno 769, reprobavit pseudo-œcumenicum concilium, Constantinopoli a Constantino Copronimo congregatum anno 754. — Eadem de causa reprobatum in concilio Lateranensi V Pisana synodus, contra Julium II indicta, anno 1511. — Eadem de causa Eugenius IV, anno 1433, reprobavit acta omnia synodi Basileensis, peracta post pronuntiatam ab ipso dissolutionem et translationem.

Probatur 3° : conciliorum auctoritate. — In concilio Chalcedonensi, anno 451, cum a Legatis Sedis Apostolicæ postulatum fuisset cur Alexandrinum Patriarcham Dioscorum e concilio expulsum vellent, responderunt : *Quia synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Quod assertum (scilicet *nunquam id factum fuisse, nec fieri licere*), patrum nullus impugnavit. — Anno 502 concilium Romanum actis suis inseri voluit Ennodii diaconi pro Symmacho Papa librum apologeticum. In quo scripto hanc sibi fieri objectionem supponit : *Ergo concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* Et sic respondet : *Legite, insanissimi, aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de majoribus negotiis si quid occurrerit, præfatæ sedis arbitrio fuisse servatum.* — Concilium œcumenicum Lateranense quintum, sub Leone X, sessione undecima, ita pronuntiavit : « Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam

eorumdem conciliorum confessione manifeste constat. » Quod autem a nonnullis Gallicanis theologi dicti concilii œcumenicitas perperam in dubium vocata fuerit, vide supra (parte tertia, sect. II, cap. II, n. 8).

Probatur 4° : rationibus theologicis. — De fide est Romano Pontifici competere jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam. Porro id falsum foret si penes alium staret potestas concilium legitimum convocandi absque Romani Pontificis auctoritate. Nam ejusmodi concilium, vel nullam haberet potestatem, vel haberet aliquam. Si nullam, ergo non esset verum et legitimum concilium; et potestas illud convocandi absque auctoritate Romani Pontificis, non esset potestas concilium legitimum convocandi. Si tali concilio adscribatur potestas aliqua, quæro quænam illa sit? An papali auctoritate minor, an major, an æqualis? Si minor, ergo subjicitur Romano Pontifici, et illegitimum fit hoc ipso quod renitente Papa coadunetur. Si æqualis vel major, ergo Papæ non competit prima seu principalis auctoritas, id est, primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam. Ergo argumenta omnia quæ probant Romani Pontificis jurisdictionalem primatum, probant simul absque ipsius auctoritate legitime convocari non posse concilium œcumenicum. — De fide est *plenam* Papæ competere potestatem quoad universalis Ecclesiæ regimen. Porro *plena* non foret si alter independenter ab ipso explere posset illum tanti momenti regiminis actum, concilii œcumenici convocationem. — Papæ potestas est *monarchica*. Verus autem monarcha non est ille princeps, quo invito potest aliquis ejus subditus comitia generalia regni legitime convocare. — Nullus est aut unquam esse poterit in Ecclesia, qui non sit Romano Pontifici subditus et ei obedire teneatur. Petro quippe dictum *pasce oves*, *pasce agnos*. Ita ut quilibet, vel non sit de ovili Christi, vel Papæ obsequi teneatur. Igitur et ille cui adscriberetur potestas concilium convocandi independenter a Romano Pontifice, teneretur simul, quatenus ovis et subjectus relative ad

Papam, concilium renitente Papa non convocare; ac proinde nonnisi illegitime ac per summum scelus illud invito Papa convocaret.

Propositio IIª. — *Potest concilium œcumenicum legitime convocari ab alio quam Papa, verbi gratia, ab imperatore, dummodo Papa consentiat.* — Nam hoc ipso quod assensum præstet Romanus Pontifex, vult convocationem legitime sic fieri per imperatorem; et hoc ipso implicite imperatorem ad id delegat; et hoc ipso convocatio fit auctoritate Pontificia, licet mediante et brachii sæcularis auxilium præstante imperatore.

Propositio IIIª. — *Licet concilium illegitimum initio fuerit ob factam sine auctoritate Papæ convocationem, potest legitimum fieri, superveniente Pontificia ratihabitione.* — Nam ex quo Papa consensum præstat, et quod peractum est ratum habet, intervenit Pontificia auctoritas, ac proinde concilium incipit esse legitimum.

Propositio IVª. — *Concilium initio legitimum, si continuetur post pronuntiatam a Papa dissolutionem, statim evadit illegitimum.* — Nam dissolutionem pronuntiando, sese Romanus Pontifex e concilio retrahit. Proinde remanet concilium truncatum capite suo, et jam caret Romani Pontificis auctoritate, sine qua legitimum esse nequit.

Propositio Vª. — *Ab imperatoribus convocata concilia œcumenica, vel cum Romani Pontificis consensu convocata sunt, vel nunquam recepta sunt ut legitima.* — Ex octodecim conciliis, certo œcumenicis ac legitimis, ad hanc usque diem celebratis, sex ab imperatoribus indicta sunt, cætera vero a Romanis Pontificibus. Porro in illis sex, imperatorum jussu convocatis, certum est intervenisse Romani Pontificis consensum.

Nicænum I convocavit quidem Constantinus Magnus; sed consensu et auctoritate Romani Pontificis Sylvestri. Colligitur ex his verbis Ruffini (*Hist.*, libro X, cap. I) : « Tum ille (Constantinus), ex Sacerdotum sententia, apud urbem Nicæam

episcopale concilium convocat. » Item colligitur ex irrefragabili testimonio concilii œcumenici sexti. Sic nempe legere est, actione 18 : « Constantinus semper Augustus et Sylvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa synodum congregabant, per quam ipsa Trinitas tam fidei symbolum dictavit, quamque adversus arianam malitiam sententiam promulgavit » (Labbe, t. VI, col. 1049, edit. Parisiis, 1671). Consonat auctor libri Pontificalis, in Vita Sylvestri : « Hujus temporibus factum est concilium cum ejus consensu (*alii legunt*, præcepto) in Nicæa Bythiniæ. » Idem testatur Sozomenus (lib. I, cap. XVI). Et tandem intervenisse Sylvestri Papæ auctoritatem, omnino colligendum est ex istis verbis Legatorum Sedis Apostolicæ in concilio Chalcedonensi : *Synodum ausus est* (Dioscorus) *facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est* (Labbe, t. IV, col. 95, edit. Parisiis, 1671). Sane si Nicænum concilium absque Romani Pontificis auctoritate convocatum fuisset, non ausi fuissent isti Legati Pontificii dicere : *Nunquam factum est.* Præsertim cum a Nicæna usque ad Chalcedonensem synodum 126 anni dumtaxat effluxissent. « Proinde dicendum est Constantinum præcepisse congregationem concilii Nicæni, ex Ecclesiæ consensu, impulsione, auctoritate, et potestate dumtaxat executoria seu præsidii » (Muzzarelli, *de auctoritate Rom. Pontificis in conciliis*, t. I, p. 82, edit. Gandavi, absque anni indicatione).

Concilium Constantinopolitanum I, generale II, indixit Theodosius imperator. At non absque auctoritate Romani Pontificis Damasi. Constat testimonio generalis synodi sextæ, actione 18 : « Macedonius Deitatem Spiritus sancti denegabat; sed maximus imperator Theodosius, et Damasus adæmas fidei, cujus solida mens gressionibus atque conflictibus alienarum sectarum nullatenus erat sauciabilis, Gregorius et Nectarius, illam in hac regia urbe synodum congregabant. » Præterea testatur Baronius (ad annum 381, n. 19) extare pervetustos codices in quibus hæc scripta leguntur : « Sententiam de

damnatione Macedonii et Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda synodo, quæ *præceptò et auctoritate ejus* apud Constantinopolim celebrata est. »

Ephesinum concilium convocavit imperator Theodosius junior. At certum est accessisse consensum Cœlestini Papæ. Nam sancto Cyrillo vices suas in concilio delegavit, et insuper tres alios legatos ab urbe Roma misit; a quo sane abstinuisset si concilii hujus celebrationi consensum denegasset. Delegatum Cyrillum ad obeundas in concilio Cœlestini vices, testatur Evagrius, his verbis : *Cyrillo synodum disponente, et locum Cœlestini veteris Romæ Episcopi obtinente* (tib. I, cap. IV). Atque idem constat ipsismet Ephesini concilii actis, in quibus legitur, actione prima : *Cyrillus Alexandriæ, qui et Cœlestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ archiepiscopi locum obtinebat.* Igitur facta est revera hæc synodus *Cœlestini auctoritate*, prout scripsit sanctus Prosper (in *Chronicis*). Facta est nempe a Cœlestino, *una cum sceptrorum domino* (id est imperatore) prout habetur in actis sexti generalis concilii, actione 18 : *Iterum Nestorius, et iterum Cœlestinus et Cyrillus. Ille quidem Christum dividebat et partiebat; hi vero cum Domino conspirantes, una cum sceptrorum domino divisorem dejiciebant.* (Labbe, t. VI, col. 1049, edit. Parisiis, 1671.) — Perperam objiceretur, factam prius ab imperatore convocationem, quam consensisset Cœlestinus. Nam etiamsi hoc verum foret, sequeretur dumtaxat illegitimam fuisse convocationem donec accessit Cœlestini consensus. Sed neque conceditur ante dictum consensum factam convocationem. Cum enim sanctus Cyrillus auctor Theodosio fuerit ut ejus nutu synodus colligeretur, prout testatur Evagrius (l. I, c. III), et aliunde idem Cyrillus adeo concorditer cum Cœlestino egerit, ut is ipsi vices suas delegaverit, quis dubitet Cyrillum, priusquam synodi convocationem ab imperatore postularet, ejus modi propositum Cœlestino indicasse et ipsius consensum obtinuisse?

Concilium Chalcedonense, generale quartum, antequam

convocaret imperator Marcianus, scripserat ad S. Leonem Papam. Immo et ipse Leo synodum congregari postulaverat; et ad illam misit Legatos, qui ipsius loco præsiderent. Id documentis probatum vide apud Muzzarelli, qui sic concludit : « Patet itaque, quod concilium Chalcedonense convocatum fuit per auctoritatem ecclesiasticam a Leone, et per sæcularem potestatem præsidii a Marciano imperatore. » (*De auctoritate Rom. Pontificis in conciliis gen.*, t. II, pag. 76, edit. Gandavi.) Confer Bellarminum (*de Conciliis*, l. I, c. XIII).

Quoad concilium Constantinopolitanum secundum, generale quintum, sic habet Muzzarelli (*de Auctoritate Rom. Pontificis in conciliis*, t. II, p. 163, edit. Lovanii) : « Ex his actis constant, primum requisitam fuisse Vigilii auctoritatem ad convocationem concilii, et ipsum consensisse. Secundo, delatam ei fuisse *præsidentiam* concilii; sed ipsum concilio interesse recusasse. Quæ duo satis manifestant, constans fuisse apud antiquitatem, quod Romanus Pontifex concilia œcumenica convocaret, et eis congregatis præsideret. Quod si, non obstante secessu summi Pontificis, synodus habita fuit, factum particulare non probat contra jus, maxime in conventu, in quo omnia per vim principis et per metum Episcoporum peracta fuere. Quare concludendum est quod ille Constantinopolitanus conventus orientalium Episcoporum non repræsentabat legitimum concilium œcumenicum... Etenim præter præsentiam Romani Pontificis per se vel per legatos suos, deerat huic synodo repræsentatio Ecclesiæ occidentalis... Hæc ante oculos non habuit illustrissimus Bossuetius, cum quintæ synodo habitæ, invito ac repugnante Vigilio Papa, auctoritatem concilii vere œcumenici deferre videtur, parte III, l. VII, cap. XX. Certe oblitus fuerat suæ sententiæ pro quinta synodo, cum (libro VIII, cap. VIII) de canone vigesimo octavo synodi quartæ deinde scripsit : *In eo canone statuendo nequaquam concilii generalis auctoritate gaudebant, a quorum decretis in ea actione cum Sede Apostolica universus occidens recedebat.* Quod

si quinta synodus inter œcumenica concilia locum obtinuit, quis nescit hoc illi nomen et auctoritatem obvenisse ex confirmatione ipsius Vigilii et aliorum Romanorum Pontificum, et ex acceptatione deinde occidentalis Ecclesiæ? »

Concilium Constantinopolitanum tertium, generale sextum, non fuit ab imperatore Constantino Pogonato convocatum, nisi post præstitum ab Agathone Papa consensum, et suam ad id auctoritatem adhibente eodem Agathone (vide apud Muzzarelli, *de Auctoritate Rom. Pontificis in conciliis*, t. II, p. 202, edit. Lovanii).

Concilium Nicænum secundum, generale septimum, Hadriani Papæ ordinatione convocatum fuit. Sic enim ipse Hadrianus scripsit Carolo Magno : « Et sic synodum istam *secundum nostram ordinationem* fecerunt. » (Labbe, tomo VII, col. 962, edit. Parisiis, 1671.)

Concilium Constantinopolitanum quartum, generale octavum, jussu Hadriani Papæ II convocatum est. (Vide apud Muzzarelli, tomo citato, p. 258.)

Quod decem alia concilia œcumenica, id est, quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Florentinum, ultimum Lateranense, et Tridentinum, Romanorum Pontificum auctoritate convocata fuerint, in dubium vocavit nullus. Igitur vera prima pars propositionis, id est, synodos ab imperatoribus convocatas, et pro œcumenicis habitas ac receptas, nonnisi consentientibus Romanis Pontificibus celebratas fuisse.

Vera etiam secunda pars, id est, tanquam conventicula seu conciliabula reprobata fuisse concilia quæ assentientis Romani Pontificis auctoritate caruerunt. « Hoc titulo (ait Ferraris, v. *Concilium*, art. 1, n. 11) reprobatum est in synodo Romana a Gregorio II conciliabulum Constantinopolitanum trecentorum Episcoporum, congregatum anno 730, eodem Gregorio renitente, a Leone Isauro imperatore. — Eadem ratione in concilio Romano a Stephano IV, anno 769, rescissa sunt acta conciliabuli Constantinopolitani pseudo-septimi universa-

lis, a Constantino Copronymo Leonis filio congregati anno 754. —Eadem causa in concilio Lateranensi V reprobatum est conciliabulum Pisanum contra Julium secundum Papam indictum anno 1511. —Sic ab Eugenio IV anno 1433, fuerunt cassata, irrita et annullata omnia et singula statuta et decreta edita a concilio Basileensi, postquam ab ipso fuerat ibi dissolutum, et Bononiam, inde Ferrariam et ultimo Florentiam translatum. Et sic de cæteris dicendum, cassata et infirmata esse concilia, quæ absque auctoritate Romani Pontificis convocata seu continuata esse constat, et inter acephala et schismatica conciliabula numeranda esse. »

Nota. — *De casibus extraordinariis ob quos sine auctoritate Papæ legitime convocari posse concilium, non quidem perfecte œcumenicum, sed tamen aliquo sensu generale, tradunt doctores catholici.* — *Primus casus* est, si sedes Romana vacet, vel morte, vel renuntiatione, vel amentia, vel perpetua captivitate Pontificis. Posse in hoc casu a Cardinalibus convocari concilium generale, si ejus necessitas evidens sit, immo, si Cardinales renuant, posse mutuo hortatu Episcopos in unum locum convenire, fuit communior doctorum sententia (vide *Theolog. Wirceburg.*, t. I, p. 255, Parisiis, 1852. — Bellarminum, *de Conciliis*, l. I, c. xiv). Tale autem concilium esset *imperfecte* œcumenicum, quia deesset Papæ auctoritas. Ego vero casum existimo chimericum. Dependet si quidem ab hac circumstantia, quod *necessitas* celebrandi tunc generalis concilii *evidens erit*. Quam *evidentiam* contingere unquam posse vix crediderim.

Secundus casus est, si plures de Papatu contendant et dignosci nequeat legitimus. In hoc casu potest concilium legitime convocari, absque Papæ auctoritate, a Cardinalibus, aut etiam, si Cardinales renuant, ab ipsismet Episcopis sese mutuo ad id hortantibus. Erit autem ejusmodi concilium *imperfecte* œcumenicum, nec ad aliud auctoritatem habebit, quam ut de certo Papa provideat (vide Bellarminum et Wirceburgenses, *citato loco*).

Tertius casus est, si Papa foret hæreticus. Agitur de hæresi quam profiteretur Pontifex, non tanquam Papa seu definiendo ex cathedra, cum sic errare nequeat, sed tanquam privata persona. Et in hoc etiam casu legitime congregari posse a Cardinalibus, aut, si renuant, ab Episcopis sponte convenientibus generale concilium, opinati sunt nonnulli doctores catholici. Ast *primo* negari potest casus, id est, Papam in hæresim labi posse, etiam ut doctorem privatum. *Secundo*, dato quod tanquam persona privata posset hæreticus fieri, legitimum non foret tale concilium generale, absque auctoritate Papæ convocatum (vide *supra*, parte III, sect. IV, cap. III).

Quartus casus est, si Papa sit gravi scelere infamatus. Sed omnino errasse qui opinati sunt in hoc casu legitime convocari posse generale concilium absque auctoritate Papæ, vide supra (parte III, sect. IV, cap. II). Et a fortiori apertissimus error est, posse ab alio convocari generale concilium, si Papa rogatus convocare renuat.

Quoad dictos extraordinarios casus, cavendum est a nonnullis auctoribus, cæteroquin catholicis, qui tempore Constantiensis concilii aut subsecuto sæculo scripserunt. Longissimum quippe schisma mentes perturbaverat, et circa respectivam concilii et Papæ auctoritatem novas ac erroneas opiniones ingesserat. Quos errores Sedes Apostolica non statim damnandos, sed diu tolerandos duxit. Et ideo subsecuti nonnulli doctores, etsi catholici, eos in scriptis suis retinuerunt.

Cæterum de præfatis extraordinariis casibus sic mihi concludendum videtur : primus chimericus : secundus, semel visus, nunquam redibit : in tertio et quarto falsum est convocari posse concilium absque Romani Pontificis auctoritate.

§ 5.— Quinam ad concilium œcumenicum sint vocandi.

Propositio I^a^. — *Nullus laicus est necessario ad concilium vocandus ut judex sit et suffragium ferat.* — De illa propositione

dicit Suarez : *est de fide* (Tractatu *de fide*, disp. undecima, sect. I, n. 7).

Probatur 1° *Scriptura sacra.* — Ad laicos non pertinet jus interveniendi conciliis cum suffragio decisivo, si ad ipsos non pertineat munus definiendi quæ sint credenda vel agenda. Porro tale munus ad laicos non pertinere, sed ad sacerdotes seu Ecclesiæ pastores, commonent plures tum Veteris tum Novi Testamenti textus, verbi gratia: *Sacerdotes levitæ populum meum docebunt* (Ezech. 44). *Interroga sacerdotes legem* (Aggæi secundo). *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus* (Malach. secundo). *Veniam ad te ut audiat me populus, et credat tibi in perpetuum* (Exod. 19). *Si ambiguum judicium..., venies ad sacerdotes* (Deuter. 17). — *Quosdam dedit apostolos, alios pastores et doctores* (ad Ephes. 4). *In quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. 20). *Vos estis lux mundi* (Matth. 5). *Euntes docete* (Matth. ultimo). *Qui vos audit me audit* (Luc. 10). — Ex scriptura sacra constat esse in Ecclesia, ex institutione Christi, *pastores* et *oves*. Jamvero si laici sint pastores, ubinam erunt oves? Si sint oves, ad eos non spectat munus pascendi, nec proinde munus judicium ferendi in conciliis.

Probatur 2° *traditione.* — Constat hac de re traditio *primo* conciliis. In primo illo concilio Hierosolymitano, quod refertur Actuum apostolorum capite XV, apostoli ipsi cum presbyteris conveniunt et definiunt; reliqua multitudo audit et obedit. — In Nicæno primo, soli 318 Episcopi judicant et definiunt; et imperator Constantinus fatetur fidei defensionem ad se non pertinere, et humiliorem locum sibi deligit. Ita Eusebius (lib. III de Vita Constantini), Rufinus (lib. I, cap. II), Socrates (lib. I, cap. VIII), Theodoretus (lib. I, cap. VII). — In Ephesina synodo, et in Chalcedonensi (actione 1), soli Episcopi conveniunt, dant suffragia et subscribunt. — In octavo concilio œcumenico, canone 17, expresse rejiciuntur asserentes concilia non posse congregari absque sæcularibus principi-

bus; idque contra canones et perpetuam Ecclesiæ consuetudinem esse dicitur. — De facto nunquam laicis concessum fuisse decisivum suffragium, constat ex omnium conciliorum subscriptionibus. Nam formula hæc *definiens* vel *judicans subscripsi*, non adhibita reperitur ab ullo laico; sed dumtaxat ab Episcopis, et (ex privilegio) ab abbatibus et generalibus ordinum religiosorum superioribus. Equidem in aliquot paucis œcumenicis subscripsit etiam imperator, sed cum formula, *consentiens subscripsi;* qua exprimitur dumtaxat submissio, excluditur jus decisivi suffragii.

Secundo, constat eadem traditio imperatorum factis ac confessione. Teste Ruffino (*Hist.*, l. I, c. II) Constantinus Magnus in concilio Nicæno requisitus ut, auditis quorumdam Episcoporum querimoniis, judex esset, illud dignum tanto principe protulit : *Vos a Deo nobis dati estis dii; et conveniens non est ut homo judicet deos.* — Theodosius junior in suis ad Ephesinam synodum litteris : *Illicitum est eum qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* — Basilius imperator, in concilio œcumenico octavo, actione decima (Labbe, t. VIII, col. 1153, Parisiis, 1671) : « Quisquis habet aliquid adversus hanc sanctam et universalem synodum dicendum..., stet in medio, et quæ sibi videntur dicat, sive Episcopus sit, sive quisquam de ecclesiastico clero, sive laicus aut ex iis qui civilibus officiis mancipantur existat; *quamquam non datum sit istis, secundum canonem, dicendi quidpiam penitus de ecclesiasticis causis; opus enim hoc Pontificum et sacerdotum est;* sed, ex abundanti, omne os iniquum obstruere volentes, licentiam præstamus omnibus... » (Confer Evagrium, lib. III, cap. IV; et Liberatum, libro II *Breviarii*, cap. XVI). — In quarta Romana synodo sub Symmacho Papa, refertur similis confessio Theodorici Regis Ariani. — Similem Hunnerici regis confessionem refert Victor (*de Persec. Vandal.*, libro II). Justinus imperator, in octava generali synodo pronuntiavit, in causis fidei et religionis, imperiale judicium Sacerdotum

judicio submitti.— Ad rem etiam facit imperatricis Pulcheriæ epistola, quam reperies inter præambulas ad Chalcedonense concilium epistolas.

Tertio, constat eadem traditio ex sanctis Patribus. Eam nempe doctrinam reperies apud Ignatium, epistola ad Smyrnenses; apud Dionysium, epistola 8 ad Demophilum; apud Tertullianum, *de Præscriptione*, ubi late irridet hæreticos qui laicis attribuunt sacerdotalia munera; apud Ambrosium, epistola 34 contra Maxentium; apud Chrysostomum, libro tertio de sacerdotio, et homilia 4 de verbis Isaiæ; apud Augustinum, epistolis 48, 166, 167; apud Cyrillum, epistola 4; apud Athanasium, epistola ad solitariam vitam agentes, ubi refert Osii Cordubensis ad Constantinum imperatorem præclara verba : *Nec te immisceas ecclesiasticis, nec nobis in hoc genere præcipe, sed a nobis disce;* apud Cyprianum, l. IV, epist. 9; apud Basilium, in regula contractiori; apud Gregorium Nazianzenum, orationibus 10, 14, 17.

Probatur 3° *ratione theologica.* — Constitutam a Christo Ecclesiam, ita ut alii sint qui regant et alii qui regantur, alii pastores existant et alii oves, alii docere debeant et alii doceri, est dogma catholicum; quod, præter alias probationes quas hic omittimus, omnino certum faciunt sacræ paginæ. Christus enim Ecclesiam a se constituendam expressit typis regni, ovilis, civitatis. Porro in quolibet regno alii regunt, et alii reguntur. Nec dari potest ovile sine pastore aut pastoribus qui ducant, et ovibus quæ ducantur. Nec esse potest civitas seu societas civilis sine auctoritate præpositorum communi bono et tranquillitati consulentium, et sine civibus huic auctoritati subjectis. Aliunde autem non minus certum est ad exercendam in Ecclesia regiminis potestatem constitutos a Christo Apostolos, et eorum successores Episcopos. Igitur laicis non competit jus Christi fideles regendi ac docendi. Proinde ipsis non competit jus in conciliis œcumenicis interveniendi tanquam judices, seu cum suffragio decisivo.

Nota. — Protestantium objectiones contra præsentem propositionem confutatas vide apud Bellarminum (*de Conciliis*, l. I, cap. XVI).

Propositio II[a]. — *De jure ordinario vocandi sunt et jus suffragii decisivi habent Episcopi omnes jurisdictionem habentes.*— Dicimus *de jure ordinario*, ad distinctionem juris *extraordinarii*, id est, *ex privilegio vel consuetudine provenientis*, ex quo solo vocandi sunt et suffragium decisivum habent, tum Cardinales Episcopali charactere carentes, tum abbates exempti, tum generales ordinum religiosorum superiores. Dicimus insuper, « Episcopi omnes *jurisdictionem habentes*, » ad distinctionem Episcoporum *in partibus*, qui jurisdictione carent. Quo prænotato, probatur thesis sequentibus rationibus :

1° Jure vocandi sunt ad concilium generale, qui Ecclesiam regunt, repræsentant, ac tractandarum causarum potestatem seu jurisdictionem habent. Nam in conciliis definiuntur dogmata, condemnantur hæreses, statuuntur canones, disciplina reformatur pro universa Ecclesia, ecclesiarum jura necnon Episcoporum controversiæ deciduntur, damnantur et absolvuntur rei, infliguntur pœnæ. Hæc vero ad eos pertinent qui Ecclesiam regunt ac repræsentant, pollentque jurisdictione in foro externo. Igitur ad concilium vocari debent. Sed isti non alii sunt quam Episcopi jurisdictionem habentes. Etenim a Spiritu sancto positi sunt Episcopi *regere Ecclesiam Dei* (Actuum XX, v. 28). Et, ex dicto Cypriani (epist. 69), *Ecclesia est in Episcopo*, scilicet quoad repræsentationem et jurisdictionem. Et Apostolis eorumque successoribus Episcopis contulit Christus ligandi solvendique potestatem.

2° Usum a primis Ecclesiæ sæculis viguisse, ut Episcopi, et quidem soli, in conciliis convenirent ac judicarent, testantur hæc Eusebii verba : *Ob quam causam* (id est ob quæstionem Paschatis sub Victore Papa) *conventus Episcoporum et concilia per singulas quasque provincias convocantur* (lib. V, c. XXIII). Idem testantur reliquorum conciliorum acta, siquidem ex eis

constat unumquodque concilium fuisse de facto conventum episcoporum, non aliorum.

3° Idem probat edictum (in epistola imperatricis Pulcheriæ ad Strategum) de repellendis etiam per vim a concilio omnibus non Episcopis.

4° Idem probat exclamatio Chalcedonensium Patrum (actione 4), contra monachos et laicos concilium ingressos : *Mitte foras superfluos : concilium Episcoporum est.*

5° Idem probat formula in subscribendo ab Episcopis adhibita : *Ego Episcopus definiens*, vel *statuens subscripsi.* Probat nempe Episcopos, et quidem solos, judicum munus in conciliis exercuisse.

6° Idem probat celebre dictum Osii ad Constantinum (apud Athanasium epistola ad solitariam vitam degentes) : *Tibi Deus commisit imperium; nobis Episcopis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Item dictum sancti Ambrosii ad Valentinianum (epist. 32) : *Si conferendum de fide, Sacerdotum*[1] *debet ista esse collatio, sicut factum est sub Constantino, qui judicium dedit Sacerdotibus.*

Igitur vocandi sunt episcopi; et *per se*, seu secluso privilegio, ipsi soli ex necessitate vocandi sunt. Et quod Episcopi congregati Ecclesiam repræsentent, fuit doctrina perpetuo recepta, teste Eusebio qui (lib. III Vitæ Constantini) Nicænum concilium vocat *conventum orbis terrarum;* teste Augustino (lib. I *de Baptismo*) qui Patrum Nicænorum consensum vocat *Ecclesiæ totius consensum.*

Propositio III^a. — *Ad concilium œcumenicum vocandos et cum decisivo suffragio admittendos esse omnes Episcopos jurisdictionem habentes, est jus divinum, quod nulla humana auctoritas immutare potest.* — Est enim de jure divino ut variæ Ecclesiæ partes Episcopis tanquam ordinariis pastoribus regendæ committantur. Quod vide probatum in meo tractatu *de Episcopo* (parte I, sect. I, cap. VII). « Sacrosancta synodus declarat...,

[1] *Sacerdotum* nomine, non tantum primis quatuor, sed subsequutis etiam sæculis, episcopos designatos, eruditis omnino explorata res est.

Episcopos... *positos* sicut idem apostolus ait, *regere Ecclesiam Dei* » (concil. Trid., sess. XXIII, c. IV). « Episcopi per terræ terminos definiti, ex Jesu Christi sunt sententia » (S. Ignatius, epist. ad Ephesios, c. III). Equidem voluntas hæc Christi non intelligenda est eo sensu quod nequeat Papa exceptionaliter et justis de causis aliquas diœceses simplicibus præsbyteris, vel Vicariis apostolicis regendas committere; sed intelligenda est eo sensu quod velit Christus *generaliter et ordinarie* regi diœceses per Episcopos, qui sint proprii earum pastores. Unde contingere nunquam potest ut Papa Episcopos instituere desinat, et eis ad regendas diœceses generaliter et ordinarie Vicarios apostolicos substituat; quia si hoc contingeret, destrueretur Ecclesiam quam instituit Christus.

Jam vero ex eo quod sit de jure divino ut variæ partes Ecclesiæ per Episcopos tanquam ordinarios pastores regantur, sequitur esse pariter de jure divino ut iidem Episcopi ad concilium œcumenicum vocari debeant et cum suffragio decisivo admitti. Nam concilium nequit œcumenicum esse nisi patres universalem Ecclesiam repræsentent. Universalem autem Ecclesiam non repræsentabunt concilii patres, nisi unusquisque unam particularem Ecclesiam repræsentet, sicque omnes simul patres repræsentent omnes particulares ecclesias seu totam moraliter Ecclesiam. Unusquisque autem non repræsentabit aliquam particularem ecclesiam, si hujus particularis Ecclesiæ caput, seu ordinarius pastor, e concilio excludatur, et alius, ab ipso non delegatus, concilio intersit. Nam etiamsi quis ad concilium deputaretur a tota reliqua diœcesi, sed non ab Episcopo, non repræsentaret particularem illam ecclesiam; siquidem non repræsentaret præcipuam ejus partem, id est, caput, id est, Episcopum. Nec legitima esse posset talis deputatio, utpote facta sine auctoritate illius qui in ea diœcesi totius ecclesiastici regiminis potestatem habet. Econtra autem unusquisque ordinarius pastor alicujus Ecclesiæ particularis, hoc ipso quod potestatem habeat regendi illius ovilis,

absque ulla sibi per oves facta delegatione, ovile illud in concilio œcumenico vere ac legitime repræsentabit. Ac proinde simul collecti ordinarii particularium ecclesiarum pastores, totam Ecclesiam repræsentabunt. Cumque id habeant ex eo quod sint ordinarii particularium ecclesiarum pastores, et hoc ipsum dimanet e jure divino, sequitur e jure divino pariter manare, quod sint necessaria concilii œcumenici membra, quodque debeant vocari, et cum decisivo suffragio admitti. — Hinc quando Christus apostolis, simul cum Petro eorum principe coadunatis, dixit : *Quodcumque ligaveritis*, non solum videtur instituisse concilium œcumenicum, sed simul instituisse ut in concilio œcumenico judices sederent apostolorum in regendis ecclesiis successores, id est, Episcopi jurisdictionem habentes.

Propositio IV^a. — *Episcopi nondum consecrati, sed jam episcopalem jurisdictionem in aliqua diœcesi obtinentes, videntur ad concilium vocandi et cum suffragio decisivo admittendi.* — Equidem expensam illam quæstionem apud auctores non reperio, et si quis expenderit, ignoro. Sed recepta generaliter videtur doctrina, quæ vocandi ad concilium Episcopos necessitatem repetit, non ab episcopali charactere, sed ab *episcopali jurisdictione*. « Totum quippe ecclesiastici concilii negotium (ait Melchior Canus, *de locis*, l. V, c. II) non ordinis sed jurisdictionis potestate transigitur. » Proinde statim ac quis per jurisdictionem episcopalem constitutus fuit alicujus particularis Ecclesiæ pastor, licet nondum episcopali consecratione insignitus fuerit, videtur jus fundatum habere concilio œcumenico interveniendi cum suffragio decisivo. Igitur ejusmodi præsules comprehendi videntur sub convocationis formula, qua uti solent Romani Pontifices, id est, qua vocant ad futurum concilium *Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas et omnes alios qui de jure vocandi sunt.*

Propositio V^a. — *Probabilius non tenetur summus Pontifex vocare ad concilium et admittere cum suffragio decisivo Episco-*

pos qui titulares, *seu* anulares, *seu* in partibus *nuncupantur*.— Triplex quoad illam quæstionem, doctorum sententia.

Prima sententia eorum est qui contendunt *episcopali characteri* seu *consecrationi* alligatam a Christo fuisse jurisdictionem *universalem*, seu in universam Ecclesiam; quæ tamen iurisdictio non competat Episcopis quatenus singulis, sed solum quatenus collegialiter seu conciliariter agentibus. Vi autem jurisdictionis ejusmodi, de jure divino vocari ad concilium deberent et cum suffragio decisivo recipi quilibet Episcopi, hoc ipso quod episcopalem consecrationem receperint, et quamvis non essent ullius diœcesis Episcopi; ac proinde ipsi etiam Episcopi qui dicuntur *titulares* seu *anulares*, seu *in partibus infidelium*. Christus tamen dictam universalem jurisdictionem non ita consecrationi episcopali annexam voluit, ut non possit aliquis Episcopus ea privari per excommunicationem, sententiamve Romani Pontificis. Et hoc est systema Bolgenii, quod expositum cum citationibus vide in meo *Tractatu de Episcopo* (parte I, sect. I, c. VII). Fuit etiam sententia Catalani, qui sic habet (proleg. in conc., c. XIII) : « Soli Episcopi, ex constitutione divina, seu *vi characteris episcopalis*, jus habent ferendi judicium definitivum in conciliis. »

Secunda sententia, cui solum adhærere puto Lucium Ferraris, Episcopis titularibus jus pariter tribuit interveniendi conciliis œcumenicis cum suffragio decisivo; sed jus illud repetit *a jurisdictione in actu primo* quam habent in respectivas titulorum suorum ecclesias ac diœceses. En ipsius verba : « Immo eodem suffragii decisivi jure gaudent etiam Episcopi titulares; et ideo etiam ipsi sunt de jure vocandi ad generalia concilia. Licet enim a tyrannis infidelibus sint occupatæ ecclesiæ, ad quorum titulum sunt ordinati et consecrati Episcopi, et consequenter in actu secundo careant jurisdictione, ex quo non habeant territorium actuale, in quo subditis jus dicere possint, etc..., retinent tamen jurisdictionem in actu primo quoad suas titulares ecclesias; atque potest dari (et

utinam pro dilatione fidei detur), quod liberentur a tyrannide infidelium, et sic etiam in actu secundo habeant territorium » (Ferraris, v. *Concilium*, art. 1, n. 29).

Tertia sententia tenet ejusmodi anularibus Episcopis non competere decisivum suffragium in concilio œcumenico, eosque non esse de jure vocandos. Et fundatur hac ratione, quod omni episcopali jurisdictione careant. Et supponit eos omni jurisdictione carere, hoc ipso quod nullam diœcesim regendam habeant. Sic habet Melchior Canus : « Sane nisi me opinio fallit, sicut nec simplices presbyteri ita nec anulares isti Episcopi in synodum cogendi sunt. Totum quippe ecclesiastici concilii negotium, non ordinis sed jurisdictionis potestate transigitur. Ferre namque sententiam, solvere aut ligare, absque jurisdictione nemo potest » (Melchior Canus, *de Locis theol.*, l. V, c. II).

Eadem doctrina sic a Suaresio exponitur : « Dico tertio : soli Episcopi per se et necessario sunt ad concilia generalia convocandi, ut in illis judices sint » (*de fide*, disput. XI, sect. I, n. 12). Id probat Suarez, tum aliis rationibus, tum ex eo quod Episcopi proprie habeant universalem jurisdictionem in Ecclesia. Postea vero sic habet : « Objicies *primo* : hinc sequi Cardinales non pertinere ad concilium si Episcopi fortasse non sint, quia nullam habent potestatem jurisdictionis. *Secundo*, idem argumentum est de Episcopis titularibus seu anularibus, ut appellant » (ibid., n. 15). Et ad objectionem quæ anulares Episcopos respicit, ita respondet : « Episcopi anulares vocari sine dubio possunt ad concilium, et habere suffragia. Per se vero id minime necessarium est, *quia jurisdictione carent episcopali*. Et ita habet usus » (ibid., n. 18). Eidem sententiæ adhæret Schmalzgrueber : « Episcopi titulares vocari possunt et habere suffragia ; sed non est necesse, quia actu carent jurisdictione episcopali; sicque habere usum testatur Suarez » (dissertatio proœmialis, § 8, n. 325).

« Ii soli sunt de jure vocandi, inquit Billuart, qui habent

jurisdictionem non solum in foro interno, sed etiam in foro externo. » His prænotatis, probabiliorem esse tertiam sententiam, *probatur* 1° ex eo quod duæ priores non satis fundatæ videantur. Enimvero systema Bolgenii esse quid novum et pugnans cum principiis aliunde certis, vide in meo *Tractatu de Episcopo* (parte I, sect. I, c. VII). Sententia vero Lucii Ferraris nititur falso supposito, videlicet penes titulares Episcopos esse jurisdictionem *in actu primo* quæ transiret *ad actum secundum*, si loca illa liberarentur ab infidelium tyrannide. Cum loca ista intra fines alicujus vicariatus apostolici concludantur, ac proinde subsint episcopali jurisdictioni alicujus vicarii apostolici, non possunt simul esse sub jurisdictione titularis seu anularis Episcopi. Et etiamsi liberarentur ab infidelium tyrannide, adhuc jurisdictio in loca ista permaneret penes Vicarium Apostolicum, et nequaquam transiret ad titulares Episcopos. Insuper etiamsi chimerica non esset jurisdictio illa *in actu primo*, non censenda foret dare *jus in actu secundo* interveniendi œcumenicæ synodo, sed dumtaxat, *jus in actu primo*, quod nulli juri æquivalet. *Probatur* 2° ex eo quod numero plures ac graviores videantur doctores qui necessitatem Episcopos ad concilium œcumenicum vocandi repetunt ab ipsorum jurisdictione in suas respective diœceses, et inde concludunt *titulares* Episcopos de jure non esse vocandos.

Nota. Eximiam de hac quæstione dissertationem, auctore E. Granclaude, reperies in publicatione periodica *Revue des sciences ecclésiastiques*, décembre 1868, et janvier 1869.

PROPOSITIO VIª. — *Cardinales, etiamsi careant episcopali charactere, vocandi sunt et suffragium decisivum habent. An autem ex jure divino, vel solum Pontificio, controvertitur.* — Sic habet Suarez (*de fide*, disp. undecima, sect. I, n. 17) : « Probabilius est Cardinales nunc ex jure ordinario pertinere ad generale concilium; sive id habeant a jure divino, sive Pontificio. Quod etiam pendet ex illa quæstione, an Cardinalium dignitas sit

jure humano introducta, ut vult Sotus... Victoria..., vel divino, ut tenet Turrecremata (l. I, c. VIII) et plures alii. Quidquid vero de hoc sit, jam doctores omnes citati conveniunt, Cardinales habere suffragium definitivum in concilio, ut latius prosequitur Turrecremata, libro tertio, capite XIV. Ratio vero est, quia jam ex usu et concessione Pontificum, præferuntur Cardinales Episcopis, in his quæ episcopalis consecratio essentialiter non fundat. Tum etiam quia in suis titulis habent jurisdictionem episcopalem... Unde in concilio Lateranensi sub Leone X, ante Episcopos subscribunt Cardinales. »

« Catholicorum sententia est, inquit Bellarminus, solos prælatos majores eosque omnes, id est, Episcopos, in conciliis generalibus et provincialibus habere jus suffragii decisivi, *ordinariè; ex privilegio* autem *et consuetudine*, etiam Cardinales, abbates, et generales ordinum, licet Episcopi non sint » (*de Conciliis*, l. I, c. XV).

Quæstionem solvit Schmalzgrueber hoc modo : « Vocari debent Cardinales, etiam non Episcopi. Idque ex privilegio vel consuetudine, ut quidam existimant, vel (ut alii cum Suaresio) etiam ex jure *ordinario*. Quia actus jurisdictionis qui ad externum Ecclesiæ regimen ordinantur, et intrinsece a consecratione episcopali non pendent, communicari possunt quibusvis personis ecclesiasticis capacibus » (*Dissert. procemialis*, § 8, n. 326).

Propositio VIIª. — *Abbates exempti, etiamsi jurisdictionem quasi-episcopalem non habeant nisi in monachos suos, ad concilium sunt vocandi et suffragium decisivum habent, ex privilegio et consuetudine.* — Agimus hic de abbatibus qui jurisdictionem quasi-episcopalem habent in subjectos sibi monachos, suntque ab ordinaria Episcopi diœcesani jurisdictione exempti, nec subsunt alteri abbati, sed immediate Romano Pontifici. Et cum inter ejusmodi abbates extent nonnulli qui jurisdictione quasi-episcopali potiuntur etiam in populum aliquem et in aliquod territorium, ne sit æquivocatio, in propositione de-

cisivi suffragii jus adscribitur abbatibus, *etiamsi jurisdictionem non nisi in monachos suos habeant*. Quo prænotato, sit :

Argumentum 1. — *Ex communi doctorum sententia.* — *Bellarminus :* « Catholicorum sententia est... Episcopos... habere jus suffragii decisivi ordinarie : *ex privilegio autem et consuetudine*, etiam Cardinales, *abbates*, et generales ordinum, licet Episcopi non sint » (*de Conciliis*, l. I, c. xv). — *Schmalzgrueber :* « Similiter suffragium habent in conciliis decisivum... Abbates, et generales ordinum regularium, ex usu et privilegio » (*Dissert. proœmialis*, § 8, n. 328). — *Ferraris :* « Ex privilegio autem et consuetudine vocandi sunt ad concilia generalia cum suffragio decisivo Cardinales etiam non Episcopi, abbates, et ordinum regularium generales » (verbo *Concilium*, art. 1, n. 30). — *Wirceburgenses theologi*, loquentes de Cardinalibus, abbatibus exemptis et generalibus ordinum : « Nunc tamen ut judices admittuntur in conciliis, quia in Florentino, Lateranensi et Tridentino subscripserunt definientes; ergo. Confirmatur : ex privilegio et consuetudine habent Cardinales jurisdictionem episcopalem in Ecclesiis sui tituli : abbates exempti et generales ordinum *quasi episcopalem in suos religiosos*. Ergo supposito hoc privilegio, accedente etiam consuetudine, ad concilium sunt vocandi; ut totius Ecclesiæ repræsentatio, suorum etiam fidelium subditorum ratione ac respectu obtineatur » (*de Principiis theologicis*, disput. II, c. ii, art. 3, t. I, p. 257, Parisiis, 1852). — *Cardinalis Pallavicinus :* Quanquam enim ea potestas solis Episcopis ordinario jure debeatur, constat tamen, ex privilegio per veterrimum etiam usum præsulibus vel minoris notæ fuisse concessum. Unde non in tribus postremis solum conciliis, Constantiensi, Florentino, ac Lateranensi, generales ordinum religiosorum præfecti atque abbates ea usi, sed in Viennensi in Gallia, in duobus Lugdunensibus, et in aliis quatuor Lateranensibus, juxta ac Episcopi habiti sunt. Cujus etiam moris vestigium satis

apparet in septima orientali synodo[1], ubi in secunda actione monachi pariter advocantur ad suam sententiam proferendam. Et in actione quarta Archimandritæ et Hegumeni, hoc est, *ductores*, unius vel plurium monasteriorum præfecturam gerentes, una cum Episcopis sua nomina decretis fidei subscribunt. Huc accedit, abbates, cum inaugurantur, obstringere se jurejurando, itidem ac Episcopi solent, ut concilio intersint, ubi a Pontifice advocentur. In Romanæ pariter Ecclesiæ ritualibus, connumerantur abbates inter eos qui jus suffragii obtinent in conciliis; additurque, id postea merito ad religiosorum summos præsides inductum. Ex quibus liquet id quod dicebamus, hujusmodi auctoritatem, ut ad Episcopos ex ordinarii jŭris potestate ea pertinet, perinde abbatibus ex privilegio veteris consuetudinis tribuendum. » (*Historia concilii Tridentini*, lib. VI, cap. II, t. I, p. 528, Antuerpiæ, 1670.)

In concilio Tridentino (id est, in quibusdam cœtibus præparatoriis ante primam sessionem, et cum paucissimi adhuc patres advenissent) disputatum quidem fuit an abbates cum decisivo suffragio essent admittendi. Sed longam eorum possessionem quoad dictam decisivi suffragii prærogativam allegabant Legati Pontificii. Qui vero exclusos abbates volebant, non negabant ejusmodi possessionem, sed contendebant revocanda esse talia regularium jura, utpote nociva. Id nempe mihi colligendum videtur ex Pallavicini narratione (lib. VI, c. II). Igitur unanimis tunc fuit sententia de acquisito ab abbatibus per longam possessionem decisivi suffragii jure, et disputatum dumtaxat an ea prærogativa continuenda foret. De facto a Tridentinis Patribus revocata non fuit.

Item sententia fuit Romani Pontificis Pauli III, abbatibus in concilio œcumenico decisivum suffragium competere. Nam, teste Pallavicino (l. VI, c. II) · « Pontifex collaudavit præsides,

[1] Nicæna secunda, anno 794.

quod eam *judicandi potestatem* in religiosis sustinuissent; simul etiam cohortatus est ad eorum causam propugnandam; quippe non modo rerum conditionibus opportunam, sed rationi consentaneam. »

Igitur *communis* revera sententia hæc dici potest, quamvis nonnulli auctores contrarium tenuerint.

Objicies. — Contrarium tenuit Suarez, sequens Cardinalem Jacobatium et Cardinalem Albanum. Sic nempe habet in suo tractatu *de fide*, disputatione undecima, n. 18 : « Tertio, generales ordinum, ex consuetudine et concessione Pontificum, habent suffragium, quamvis ex jure communi non oporteret illos vocare. Quarto, *de Abbatibus non viget talis aliqua consuetudo, nec Pontifices illis hoc concesserunt*, nec eorum dignitas talis est ut putandum sit, jure divino hoc ad ipsos pertinere. Et quamvis aliis in rebus videatur eorum jurisdictio similis episcopali, non tamen in omnibus quia id ex jure humano descendit. Videatur Jacobatius referens multos, libro secundo, capite secundo, versiculo *dubium tamen est;* Albanus, prima parte *de Concilio*, capite XVI. »

Respondeo. — 1° Longum schisma in Constantiensi concilio extinctum, mentes perturbaverat, et multis erroneis opinionibus præsertim circa ea quæ Ecclesiæ constitutionem et Sedis Apostolicæ auctoritatem respiciunt, ortum dederat. *De Aberrationibus Gersonii et Petri de Alliaco jam supra diximus* (parte II, sect. II, cap. VI, § 3 et 4). Sed et illi qui proximis post Constantiense concilium temporibus scripserunt, utpote antecedentium errorum caligine nondum satis expediti, caute quoad dictas materias legendi sunt, etsi cæteroquin erga Sedem Apostolicam bene affecti fuerint, et bona fide utilitatem Ecclesiæ pro scopo habuerint. Inter quos recensendus potissimum Cardinalis Jacobatius; cujus proinde auctoritas in multis merito recusari debet. Et meo quidem judicio, non debuisset Labbe in suo conciliorum apparatu, Jacobatii tractatum *de Conciliis* edere. Et etiam Cardinali Albano applicanda sunt

quæ dixi, licet multo minus, seu quoad pauca dumtaxat, placita. Unde vis objectionis tota stat in auctoritate Suaresii, quæ revera maxima est. — At 2° notare poterit lector a Suaresio quæstionem hanc ex professo non expendi, sed pauculas tantum citatas lineas per transennam exscriptas. Si attendisset Suaresius ad id quod in concilio Tridentino contigerat, immo vel ad id quod Bellarminus docuerat, sane non incunctanter sic asseruisset : *de Abbatibus non viget talis aliqua consuetudo;* quod assertum falsum prorsus esse apertissime constat monumentis et factis historicis. Igitur quantacumque sit Suaresii auctoritas, omnino dicendum est eum hac in re in errorem inductum fuisse. Qui error non impedit quin contraria sententia *communis* vocari possit. Si quis tamen, ob tanti viri auctoritatem, non simpliciter *communem* esse vocandam, sed solummodo communiorem, aut magis receptam contenderit, haud dissentiemus.

Argumentum II. — *Ex possessione plusquam mille annorum.* — Quod abbates cum suffragio decisivo interfuerint concilio œcumenico Lateranensi anni 1180, et subsecutis omnibus generalibus synodis usque ad Tridentinam inclusive, satis constat ex citato Cardinalis Pallavicini testimonio, et quisque compertum habere potest dictorum conciliorum acta, id est, subscriptionum catalogos pervolvendo, in collectione, verbi gratia, quam ediderunt Labbe et Cossart. Quod autem etiam in concilio œcumenico Nicæno secundo, anni 787, abbates dicta prærogativa jam potiti sint, paucis ostendamus. Sic legere est sub finem actionis secundæ (Labbe, t. VII, col. 151, edit. Parisiis, 1671) : « Sancta synodus dixit : justum est ut reverendissimi monachi pronuntient. Reverendissimi monachi dixerunt : si ordo est talis (ἡ τάξις ἐστὶν), ut nos monachi pronuntiemus, sicut jubetis. Tarasius sanctissimus Patriarcha dixit : Ordo est unicuique qui reperitur in synodo, ut pronuntiet confessionem suam. Sabbas reverendissimus monachus et Hegumenus Studii dixit : secundum antiquam et pris-

corum temporum illibatam fidem..., et secundum destinatam syllabam a ter Beato et Apostolico Papa Hadriano..., confiteor et credo, et adoro sacras imagines. Eos autem qui non ita sentiunt anathematizo. Gregorius reverendissimus monachus et Hegumenus sancti Sergii dixit:... Joannes Hegumenus Pagurii similiter. » Et ibi septem alii Hegumeni nominantur cum eadem formula *similiter*. Ac tandem additur : « Et cæteri omnes monachi pronuntiaverunt similiter. » Notetur autem eamdem prorsus esse formulam qua usi sunt Episcopi. Verbi gratia : *Sisinnius sanctissimus Episcopus Garialli similiter* (Labbe, loco citato). Pariter sub finem actionis quartæ post subscriptiones Episcoporum et cum eadem dicta formula, leguntur subscriptiones centum et octodecim Hegumenorum seu abbatum, quarum prima hæc est : « Sabbas monachus et Hegumenus monasterii Studii similiter. » (Labbe, citato tomo VII, col. 339.) Et ex iis 118 Hegumenis, sex vocantur simul *Archimandritæ;* verbi gratia : *Theodorus Hegumenus et Archimandrita Bodi similiter* (Labbe, ibid., col. 339). Quod autem denominatio illa *Hegumenus* idem omnino apud græcos significaverit ac latina vox *abbas*, constat ex eo quod unus e duobus Hadriani Papæ Legatis, qui erat abbas sancti Sabbæ in urbe Roma, in actis eodem Hegumini nomine designetur. Sic, verbi gratia, se habent subscriptiones dictorum Legatorum, quæ præcedunt subscriptiones Patriarcharum et cæterorum omnium, quamvis ii Legati non essent nisi simplices presbyteri : « Petrus indignus primus presbyter Sedis sancti Apostoli Petri, et locum supplens Hadriani Papæ senioris Romæ, definiens subscripsi. — Petrus indignus presbyter *et Hegumenus monasterii sancti Patris Sabbæ siti Romæ*, et locum supplens Hadriani Papæ senioris Romæ, definiens subscripsi » (Labbe, t. VII, col. 558, edit. Parisiis, 1671). Igitur jam ab anno 787 potiti sunt abbates dicta prærogativa, quæ ipsis in omnibus subsecutis conciliis œcumenicis continuata fuit, et quæ proinde ab annis saltem mille et septuaginta perdurat.

Objicies 1°. — Dicti Hegumeni non erant unius monasterii abbates, sed generales plurium monasteriorum superiores. Proinde hoc exemplum non probat quoad abbates de quibus in thesi.

Respondeo : Falsum est assertum. Nam plurium monasteriorum generales superiores, non simpliciter *Hegumeni*, sed *Archimandritæ* vocabantur. Absonum est præterea in uno concilio adfuisse 118 *generales* plurium monasteriorum *superiores*. In hoc numero sex dumtaxat Archimandritæ reperiuntur. Cæteri 112 fuerunt solummodo unius monasterii Hegumeni, id est, rectores.

Objicies 2°. — Saltem valde restricta fuit dicta possessio abbatum in concilio Tridentino. Nam, teste Pallavicino (l. VI, c. II), non admissi sunt nisi tres abbates Cassinenses, et cum hac conditione quod trium suffragia pro unico haberentur.

Respondeo : 1° Falsum est tres solummodo abbates Tridentino concilio interfuisse, nec hoc dicit Pallavicinus. Sed loco citato de solis istis tribus loquitur, quia nondum alii advenerant. Nec mirum cum vix incœpta tunc foret synodus, et primæ sessioni adfuerint dumtaxat Archiepiscopi quatuor et Episcopi 22. Cæterum constat Tridentino concilio interfuisse abbates quatuordecim, videlicet : Isidorus Clarius, abbas Pontidæ Bergomensis, Brixiensis. (Labbe, ad calcem sessionis 5.)—Chrysostomus Gimilianensis, abbas sanctæ Trinitatis de Caieta, Calaber. (Labbe, ibid.) — Lucianus de Othonibus, abbas Pomposæ Ferrariensis, Mantuanus. (Labbe, ad calcem sessionis 7.) — Gerardus Hamericurth, abbas Bortini, ordinis Carmelitarum, Germanus. (Labbe, ad calcem sessionis 13.)— Marcus de Brixida, abbas sancti Vitalis de Ravenna, ordinis sancti Benedicti, Italus. (Labbe, ibid.) — Eusebius de Parma, abbas sanctæ Mariæ Gratiarum, diœcesis Placentinæ, ejusdem ordinis, Italus. (Labbe, ibid.) — Hieronymus de Souchier (de la Souchière), Gallus, Campanus, abbas Clarevallensis, postea Cardinalis. (Labbe, t. XIV, col. 932, edit. Parisiis, 1672.) —

Simplicianus, abbas sancti Salvatoris Papiæ, de Vultolina, congregationis Cassinensis (Labbe, ibid.) — Stephanus Catanius, Novariensis, abbas Sanctæ Mariæ Gratiarum Placentinæ diœcesis, congregationis Cassinensis. Is interfuit ultimæ sessioni. (Labbe ibid.) Ejusdem autem monasterii alter abbas, Eusebius de Parma, interfuerat sessioni 13, ut supra vidimus. — Augustinus Loscus, Hispanus, abbas sancti Benedicti de Ferraria, congregationis Cassinensis. (Labbe, loco citato.) — Claudius de Sainctes, Gallus, Campanus, abbas Lunevillanus. (Labbe, ibid.) — Cosmas Damianus Hortulanus, Hispanus, abbas Villæbertrandi. (Labbe, ibid.)— His quatuordecim non adjunximus Ludovicum de Baissey, abbatem Cisterciensem, licet primo loco inter abbates ponatur (Labbe, tomo XIV, col. 932, Parisiis, 1672), quia erat simul generalis totius ordinis, unde objici posset eum non quatenus abbatem interfuisse, sed quatenus alicujus religiosi ordinis superiorem generalem.

Respondeo : 2° Conditionem quod trium abbatum Cassinensium suffragia pro unico computarentur, statutam fuisse *transitorie*, id est, donec advenisset major Episcoporum numerus. Postea vero de transitoria ista restrictione nullam habitam fuisse rationem mihi certum videtur. Id tamen directe probare omitto, quia præ manibus non habeo necessaria documenta.

Argumentum III. — *Ex formula indictionis a Romanis Pontificibus adhiberi solita.* — Sic bulla indictionis Tridentini concilii : « Omnes omnibus ex locis, tam venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, *et dilectos filios abbates*, quam alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, et sententias in eis dicendi permissa potestas est; requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis in vi jurisjurandi quod nobis et huic Sanctæ Sedi præstiterunt, ac sanctæ virtute obedientiæ, aliisque sub pœnis jure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum

adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque præcipientes ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores et nuntios, sacro huic concilio omnino adesse et interesse debeant. » (Labbe, t. XIV, col. 730 et 731, edit. Parisiis, 1672.) Notet lector ibi expresse convocari *abbates;* de generalibus autem ordinum superioribus haud fieri expressam mentionem, etsi comprehendantur sub verbis, *quam alios*, etc. — In bulla indictionis concilii œcumenici Lateranensis quinti, anno 1512, sic loquitur Julius Papa II : « Insuper præfatis et aliis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, *monasteriorum abbatibus et prælatis*... Mandamus ut ad ipsum concilium Lateranense accedere... debeant » (Labbe, t. XIV, col. 37, Parisiis, 1672). — In bulla indictionis Constantiensis concilii a Joanne Vigesimo tertio : « Venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et dilectos filios electos abbates, et cæteros ecclesiarum et monasteriorum prælatos, » etc. (Labbe, t. XII, col. 12, edit. Parisiis, 1672.) — In bulla indictionis concilii œcumenici Viennensis a Clemente V : « Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, *ac dilectis filiis electis abbatibus*, prioribus decanis, præpositis, » etc. (Labbe, t. XI, parte II, col. 1543, Parisiis, 1671.) — Paulo post (col. 1556) apud eumdem Labbe videre est nomina duodecim abbatum, ad quos indictionis bulla directa est. — Et tandem bulla qua Pius IX feliciter regnans mox celebrandum concilium Vaticanum indixit, vocatos pariter meminit, immediate post Episcopos, *dilectos filios abbates* (bulla *Æterni Patris*, 29 junii 1868. — In diario (l'*Univers*), 5 juillet 1868.

Igitur consuetudo seu constans praxis abbates ad concilia œcumenica vocandi, est factum certissimum,

Argumentum IV. — *Ex jurejurando ab abbatibus, cum inaugurantur, præstito, eundi ad concilium œcumenicum.* — Nam, ut videre est in Pontificali, ejusmodi juramentum eodem modo

præstant ac Episcopi. Sane nisi Sedes Apostolica, inter eos qui vocari ad concilium debent, abbates etiam computaret, dictum jusjurandum ab ipsis non exigeret.

Argumentum V. — *Ex ritualibus Ecclesiæ Romanæ libris.* — In eis enim, teste supra citato Pallavicino, connumerantur abbates inter eos qui jus decisivi suffragii obtinent; et additur eam abbatum prærogativam, merito postea extensam fuisse ad generales ordinum superiores.

Objicies 1°. — Allegata documenta commode intelligi possunt de solis abbatibus qui jurisdictionem quasi episcopalem obtinent in aliquem populum. Unde isti soli vocandi sunt et cum suffragio decisivo admittendi.

Respondeo : Absona prorsus ejusmodi interpretatio. Abbates enim tales non sunt per episcopalem in aliquem populum jurisdictionem, sed solummodo per jurisdictionem in subjectos sibi monachos. Si haberent dumtaxat jurisdictionem in populum, essent quidem *prælati*, *abbates* nullomodo. Quod sint *abbates* totum ipsis venit e subjectis quibus præsunt monachis. Jurisdictionem autem in populum, nec acquirendo magis fiunt abbates, nec amittendo minus. Igitur ubi doctores, ubi indictiones conciliorum, ubi libri rituales ac cætera documenta de *abbatibus* simpliciter et sine addito agunt, eisque in concilio jus decisivi suffragii ex privilegio ac vetustissima consuetudine tribuunt, id intelligendum est de omnibus abbatibus qui essentialia seu requisita ad constituendam dignitatem abbatialem habent; ac proinde intelligendum est etiam de abbatibus in solos monachos jurisdictionem obtinentibus. Et sane si vocandorum abbatum ratio fuisset eorum in aliquam plebem jurisdictio, id in bullis indictionis expressum occurreret. Legeretur nempe : *Et dilectos filios abbates jurisdictionem in populum obtinentes.* Atque idem canonistæ diligenter adnotassent. — Idem cæteroquin facto solo plenissime constat. Inquiratur, tum de illis quatuordecim abbatibus qui concilio Tridentino interfuere, tum de aliis successive anti-

quiorum conciliorum, usque ad supradictos 112 Hegumenos seu abbates concilii Nicæni secundi anni 787; et comperietur ex ipsis quam plurimos solis religiosis suis potestate seu jurisdictione præfuisse.

Objicies 2°. — Restringendum saltem est dictum privilegium ad abbates plurium monasteriorum, seu totius alicujus monachalis congregationis *generales superiores*. Ut proinde non quatenus abbatibus hoc eis competat; sed sicut cæteris ordinum religiosorum generalibus præpositis.

Respondeo : Hæc etiam restrictio fundamento caret. Equidem ex quo, in Benedictina familia, per Cluniacensem reformationem, cœperunt plura monasteria in congregationem coalescere, orta etiam est abbatum diversitas. Antea scilicet monasteria omnia erant *singularia;* id est, unumquodque ab omnibus aliis independens erat, et completam familiam constituebat, cujus caput abbas. Ortis variis congregationibus, verbi gratia, Cluniacensi, Cassinensi, Anglicana, distingui debuit abbas *primarius* seu monasterii primarii, tum ab abbatibus monasteriorum *secundariorum* ejusmodi congregationum, tum ab abbatibus monasteriorum quæ *singularia*, id est, extra omnem congregationem remanserant. Si valeret objectio, prærogativa decisivi suffragii in concilio solis abbatibus *primariis* competeret; non autem abbatibus *secundariis* monachalium congregationum, nec abbatibus monasteriorum quæ *singularia* remanserunt. Porro,

1° Competit dicta prærogativa omnibus monasteriorum *singularium* abbatibus. Nam hi sunt in vero ac stricto sensu *abbates*, siquidem exercent in suos monachos potestatem, nulli alteri abbati subjectam. *Primarii* autem congregationum abbates, licet habeant majorem potestatem *extensive* seu in plura monasteria, non tamen majorem habent *intensive.* Igitur nulla est ratio cur, sub denominatione *abbatum*, in indictionibus conciliorum aliisve documentis, et canonistarum scriptis adhibita, non comprehendantur monasteriorum extra omnem

congregationem existentium abbates. — Insuper recenseantur (apud Labbe, verbi gratia) abbates qui concilio Tridentino et aliis retro conciliis œcumenicis usque ad Nicænum secundum interfuerunt, et de facto quam multi reperientur qui non fuerunt *generales* congregationum superiores.

2° An autem in monachalibus congregationibus, non tantum *primario* totius congregationis abbati, sed etiam *secundariis* ejusdem congregationis abbatibus dicta prærogativa competat, aliis expendendum relinquo; tum ne nimis volumen crescat, tum quod multa ignorem, quæ forent ad illam enucleandam quæstionem scitu necessaria [1].

Propositio VIII^a. — *Generales ordinum religiosorum superiores, ex privilegio et consuetudine, sunt vocandi et cum suffragio decisivo admittendi.* — Constat 1° ex unanimi doctorum sententia; quæ satis innotescit ex dictis supra quoad abbates. Constat 2° ex eo quod de facto ad ultima concilia œcumenica vocati fuerint, et suffragium decisivum habuerint, prout in dictorum conciliorum actis videri potest. Concilio Tridentino, verbi gratia, interfuerunt octo ejusmodi generales, videlicet : Dominicanorum, — Minorum de observantia, — Minorum conventualium, — Eremitarum sancti Augustini, — Servorum sanctæ Mariæ, — Carmelitarum (per procuratorem), — Jesuitarum, — et Capuccinorum (eorum nomina vide apud Labbe, t. XIV, col. 933, edit. Parisiis, 1672). In concilio Vaticano sedent pariter cum suffragio decisivo generales ordinum religiosorum superiores.

Propositio IX^a. — *Procuratores Episcoporum in concilio Tridentino non habuerunt suffragium decisivum, sed dumtaxat consultivum.* — « Dubitari potest (ait Schmalzgrueber, dissert. procem., § 8, n. 330) de prælatis vel aliis clericis, qui loco

[1] Hæc de abbatibus scripseram ante quam convenisset Vaticanum concilium. Certum autem est in hoc concilio admissos dumtaxat fuisse *generales* congregationum *Abbates*. Derogatum proinde fuit cæterorum prærogativæ, si revera prærogativa hæc penes alios etiam abbates antea steterit, prout evincere videntur supra deductæ rationes.

Episcoporum absentium intersunt concilio generali. Quod dubium resolvi ope distinctionis potest. Nam olim ferebant suffragium decisivum, non secus ac Episcopi a quibus mittebantur et quorum vices gerebant; ut patet ex actis synodi Nicenæ, Constantinopolitanæ I et II, Ephesinæ et Chalcedonensis. At novissime in concilio Tridentino nemo ad suffragium decisivum admissus est, qui ab alio subrogatus fuisset, sive is procurator esset cujusdam antistitis, sive generalis alicujus præsidis ordinis religiosi. » Confer Pallavicinum, *Historia concilii Tridentini*, l. VI, c. II.

Ex eo quod dictis procuratoribus suffragium decisivum a Tridentina synodo denegatum fuerit, sequitur eos antea, non ex jure divino, sed dumtaxat ecclesiastico, hac prærogativa potitos fuisse. Cumque in concilio Tridentino interrupta fuerit eorum possessio, ulterius sequitur, ab ipsis jam recuperari non posse suffragii decisivi jus, nisi per novam Sedis Apostolicæ aut alicujus generalis concilii concessionem. Et forsan in futuro Vaticano concilio, quod jam indixit Pius Papa IX feliciter regnans, dictam concessionem postulabunt. Quod autem consecuturi sint, probabile non videtur, ob Patrum Tridentinorum auctoritatem, queis utilior contraria ordinatio visa est[1].

§ 6. — Ad Romanum Pontificem pertinet jus præsidendi conciliis œcumenicis.

« Catholici omnes id munus proprium esse docent summi Pontificis, ut, vel per se, vel per Legatos, synodo præsideat, et tanquam supremus judex omnia moderetur. Dicimus autem, per se vel per Legatos, quia summus Pontifex nunquam interfuit conciliis orientalibus per se » (Bellarminus, *de Con-*

[1] Nedum suffragii decisivi prærogativam recuperaverint, ne admissi quidem fuerunt in conciliaribus tractationibus. Item admissi non sunt Episcoporum theologi. In causa forte fuit ingens Episcoporum numerus, a quibus perorantes difficile audiri possunt. Interea tamen confirmat factum istud constantem sæculorum doctrinam, videlicet, Episcoporum negotium esse concilia, non aliorum.

ciliis, l. I, c. XIX). Cur orientalibus synodis Romani Pontifices nunquam interfuerint, atque id non factum esse casu, sed ex certa ratione, vide apud eumdem Bellarminum, loco citato. Probatur autem thesis argumentis sequentibus :

ARGUMENTUM I. — *Ex omnibus generatim rationibus quæ Romano Pontifici vindicant primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam.* — Ejusmodi quippe primatus innatum secum trahit jus præsidendi conciliis œcumenicis. Enimvero vi supremæ suæ jurisdictionis in universam Ecclesiam, ad Romanum Pontificem pertinet totum Ecclesiæ regimen. Œcumenici autem concilii moderatio, pars est regiminis Ecclesiæ, ut patet. Et moderatio hæc est ipsummet officium præsidis. Ergo ad Papam officium illud pertinet. Unde rationes omnes, quibus in prima tractatus parte Romanis Pontificibus vindicatus est primatus jurisdictionis, simul ipsis vindicant conciliis œcumenicis præsidendi prærogativam. — Simile argumentum deduci potest e tertia tractatus parte, ubi probata est Romani Pontificis supra concilium auctoritas. Hoc ipso enim quod quis sit superior alicujus cœtus, seu congregationis, et omnes sic congregati teneantur ipsi obedire, habet simul præsidendi jus. Et vice versa non esset superior relative ad talem congregationem, si hæc, invito ipso, posset alium præsidem legitime sibi constituere.

ARGUMENTUM II. — *Ex eo quod legitimum esse nequeat concilium absque assensu Romani Pontificis.* — Necessarium esse Romani Pontificis assensum, ut legitime celebretur concilium generale ac ejus decreta vim habeant, probatum est supra, parte tertia. Potest ergo Pontifex, assensum suum denegando, quodlibet concilium, cui ipse, per se vel per legatos non præsideret, illegitimum et irritum reddere. Sed hoc ipso ad Papam pertinet jus præsidendi, ut patet.

ARGUMENTUM III. — *E theologia Wirceburgensi transcriptum.* — « Jus præsidendi concilio generali regulariter ad Pontificem Romanum pertinet. Probatur : qui in concilio generali habet

præcellentiam respectu congregationis, superioritatem respectu congregatorum, auctoritatem respectu repræsentati, potestatem respectu causæ; ad eum jus præsidendi concilio generali pertinet; cum his comprehendantur quæ in præside conventus desiderari queunt. Sed Pontifex omnia ista complectitur. Quia, ut primas et pater ab ipsis Constantinopolitano et Chalcedonensi conciliis appellatus, præcellit in congregatione. Ut successor Petri et pastor supremus, est superior congregatis. Ut vicarius Christi et caput visibile, auctoritatem obtinet Ecclesiæ per concilium repræsentatæ. Ut doctor, judex et Papa œcumenicus, causarum omnium in synodo tractandarum potestatem habet... Præter ipsum autem, nec ulli potestati sæculari, nec personæ ecclesiasticæ saltem singulari, hæc competunt. Ergo. » (T. I. p. 251, edit. Parisiis, 1852.)

Argumentum IV. — *Ex constanti praxi.* — Nisi Romanis Pontificibus dictum jus præsidendi competeret, de facto œcumenicis omnibus conciliis non præfuissent. Obstitissent procul dubio Orientis Patriarchæ, et quoad concilia in orientalibus regionibus celebranda, sibi præsidentiam reservassent, nisi persuasum habuissent id certo jure veteris Romæ præsuli omnino competere. Præsertim cum Papa non accederet ipse, non passi essent sibi præferri et præsides agere Legatos ejus, eosque quandoque simplices presbyteros. Unde valet omnino a facto ad jus illatio, et probandum dumtaxat factum. Immo nec probatione indiget quoad decem ultima concilia generalia, cum nullus unquam negaverit in eis synodis, in occidente celebratis, Papam per se vel per Legatos suos præsidis officium explesse. Igitur recenseamus octo priora, et expendamus an eis etiam omnibus idem præsidis munus Pontifex obierit.

1. *Concilio Nicæno anni 330 præfuit Sylvester Papa, per tres Legatos suos, Osium Cordubensem Episcopum, Vitum et Vincentium presbyteros.* — Constat 1° subscriptionibus. Nam hi tres omnium primi subscripserunt, etiam ante Antiochenum et

Alexandrinum Patriarchas. Nulla autem alia ratio excogitari potest de illa in subscribendo præcedentia, nisi quod repræsentarent primam sedem, quæ aliis omnibus dignitate et auctoritate præcellebat. — Constat 2° ex Socrate, qui, libro I Historiæ, capite IX, Patres Nicænos recensens, primum pariter locum Osio, Vito et Vincentio tribuit. — Constat 3° ex epitome canonum quam Hadrianus Papa primus Carolo Magno obtulit. Nam in præfatione canonum Sardicensium, quæ vulgo creditur a Dionysio Exiguo adornata, sic habetur : *Sciendum est hunc Osium inter* 318 *Patres concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Vito et Vincentio presbyteris destinatum.* — Constat 4° ex sancto Athanasio. Sic loquitur de Osio in apologia de fuga sua : *In qua synodo ille non dux et antesignanus fuit? Quæ Ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* Et in epistola sua ad solitarios : *Hic est princeps synodorum*, etc. Igitur præfuit Osius concilio Nicæno. Præsidere autem ibi non potuit nisi quatenus Legatus Romani Pontificis. — Constat 5° ex Gelasio Cyziceno, qui sic refert, in sua *Historia concilii Nicæni*, lib. II, cap. III : « Aderant autem ex pluribus provinciis et civitatibus Episcopi, de quibus Eusebius Pamphili, libro tertio de vita Constantini, hæc ipsa verba refert : *Ex omnibus ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa et Asia extiterunt, Dei sacerdotes qui facile primas ferre putabantur, in unum convocantur... Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis et famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Vitone et Vincentio, cum aliis multis in concessu illo adfuit...* Sic de iis qui in eo convenerant Eusebius Pamphili disseruit. » Notet lector in hoc Gelasii Cyziceni testimonio haberi etiam testimonium Eusebii Cæsariensis, qui Nicæno concilio interfuit, et cujus verba Gelasius transcribit. Equidem si adeas vulgatas Eusebii editiones, non reperies integrum illum textum, quem Gelasius dicit a se ex Eusebio transcriptum. Deest nempe integra periodus. Sed

sciendum est Eusebii codices, ut nunc habentur, esse mutilos, prout docet Morinus (libro I, exerc. 20). Et contextum perpendenti facile patebit, ex amanuensium incuria, aut alia de causa, omissam fuisse dictam periodum. Gelasii Cyziceni testimonium de Pontificia legatione Osii cum Vito et Vincentio ad concilium Nicænum refert Photius in sua *Bibliotheca*, capite LXXXVIII, nec ullum movet de ipsius authenticitate aut veritate dubium. At, quod ausus non est Photius, ausus est Ellies Dupin. Sic enim habet in opere suo *Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques*, in notis ad Nicænum concilium : « Il y a plus d'apparence que ce fut Osius qui y présida en son nom, et non pas au nom du Pape. Car il ne prend nulle part la qualité de Légat du Saint-Siége. Et aucun ancien n'a dit qu'il ait présidé à ce concile au nom du Pape. Gélase de Cysique, qui l'a assuré le premier, le dit sans preuve et sans autorité. » Nota impudens illud mendacium, *sans autorité*, cum adducat Gelasius ipsamet verba Eusebii, qui concilio interfuerat, et cujus auctoritas quoad historiam sui temporis summa est apud eruditos. — Constat 6° ex Hincmaro Remensi, qui in opusculo contra Hincmarum Laudunensem, capite XX, sic loquitur de Nicæna synodo : *Cui ad vicem Sylvestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus et Vincentius presbyteri.* — Constat 7° ex sancto Gregorio VII, in cujus *Apologia*, capite III, hæc occurrunt verba : *Osius Cordubensis, Victor et Vincentius presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte Sylvestri concilio Nicæno præfuerunt.* — Equidem in comitiis Gallicani cleri anni 1682, negavit Episcopus de Praslin, Sylvestrum Nicæno concilio per Legatos suos præfuisse (non alia forsitan de causa quam ut Sedi Apostolicæ molestiam ingereret, prout tunc gubernium omnimode fieri procurabat). Sed Bossuetius (in sua *Defensione*, parte III, l. VII, c. VII, Operum t. XLII, p. 21, edit. Gauthier, Parisiis, 1828) contrariam sententiam sic profitetur : « Aderant sane sacro conventui presbyteri Romanæ Ecclesiæ, digniore præ cæteris Patriarchis, uti decebat,

loco. Et Osium Cordubensem Sylvestri nomine adfuisse, Gelasio Cyziceno auctori græco, ita ex actis referenti, facile assentimur; cum et nemo contradicat et secutis conciliis congruat. »

Nota. — De concilio Constantinopolitano I, quod inter œcumenica secundo loco numeratur, quæstio esse non potest, an ei Romanus Pontifex præfuerit. Nam ista synodus, ex solis orientalibus convocata, per seipsam solam non fuit œcumenica. Sed vim œcumenicitatis obtinuit, tum ex superveniente Damasi confirmatione, tum ex eo quod fidei, quam totus occidens cum Romano Pontifice circa Spiritum sanctum profitebatur, orientales præsules paribus votis adhæserint. Fuit nempe ista synodus, non *formaliter*, sed *æquivalenter* dumtaxat œcumenica.

II. *Concilio œcumenico Ephesino, anni 413, præfuit Cœlestinus Papa per Legatos suos Cyrillum, Arcadium, Projectum et Philippum.* — Constat 1° actione I^a^, ubi legitur : *Considentibus... religiosissimis et sanctissimis Episcopis : Cyrillo Alexandriæ, qui et Cœlestini qnoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat* (Labbe, t. III, col. 445, edit. Parisiis, 1671). — Constat 2° ex Evagrio : *Cyrillo synodum disponente, et locum Cœlestini veteris Romæ Episcopi obtinente* (lib. I, cap. IV). — Constat 3° ex *constituto* Vigilii Papæ. In eo scilicet constituto inserta fuit professio fidei quam Mennas et alii multi Episcopi emiserant, et in qua sic habetur : « Nos igitur apostolicam sequentes doctrinam... imprimis quatuor sanctas synodos, Nicænam..., Constantinopolitanam..., Ephesinam primam ducentorum (Episcoporum), *in qua in Legatis suis* atque vicariis, id est, beatissimo Cyrillo Alexandriæ urbis Episcopo, Arcadio et Projecto Episcopis, et Philippo presbytero, *Beatissimus Cœlestinus Papa senioris Romæ noscitur præsedisse...* » (Labbe, t. V, col. 337 et 338, Parisiis, 1671.)

III. *Chalcedonensi concilio œcumenico, anni 443, præfuit per*

suos Legatos sanctus Leo Papa. — Constat Leonis ad concilium epistola : *In his fratribus, Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt me synodo fraternitas vestra æstimet præsidere.* — Constat actione III^a^, in qua dixit Paschasinus : *Nostram parvitatem huic concilio pro se præsidere Papa Leo præcepit.* — Constat epistola concilii ad Leonem : *Quibus quidem* (Episcopis congregatis) *sicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem.*

Nota. — De secundo concilio Constantinopolitano, œcumenico quinto. — Synodus hæc per seipsam solam non fuit œcumenica. Defuit siquidem Ecclesiæ occidentalis repræsentatio, et nec per se, nec per Legatos Romanus Pontifex interfuit. Omnia insuper, vim inferente principe, ac metu Episcopos compellente, facta fuisse constat. « Quod si quinta synodus inter œcumenica concilia locum obtinuit, quis nescit hoc illi nomen et auctoritatem obvenisse ex confirmatione ipsius Vigilii, et aliorum Romanorum Pontificum, et ex acceptatione deinde occidentalis Ecclesiæ? » (Muzzarelli, *de Auctoritate Rom. Pontificis in conciliis*, cap. IX, § 4, t. II, p. 164, edit. Gandavi.) Cæterum constat, ut ait citato paragrapho idem Muzzarelli, « primum requisitam fuisse Vigilii auctoritatem ad convocationem concilii, et ipsum consensisse; secundo, delatam ei fuisse *præsidentiam* concilii; sed ipsum concilio interesse recusasse. Quæ duo satis manifestant, constans fuisse apud antiquitatem, quod Romanus Pontifex concilia œcumenica convocaret, et iis congregatis præsideret. »

IV. *Concilio Constantinopolitano tertio, œcumenico sexto, præfuit Agatho Papa, per Legatos suos.* — Constat 1° ex eo quod ante omnes alios Patres nominentur dicti Legati, quamvis episcopali charactere non insigniti. Id quippe arguit ipsos in concilio præsides egisse vice Agathonis. Sic nempe legere est sub initium actionis primæ : « Conveniente quoque sancta et universali synodo,... id est, Theodoro et Georgio venerabilibus presbyteris, et Joanne venerabili diacono, vicem agen-

tibus Agathonis sanctissimi et beatissimi archiepiscopi antiquæ Romæ, et Georgio venerabili ac sanctissimo archiepiscopo magnæ Constantinopoleos novæ Romæ... » — Constat 2° ex antiquo libro Ecclesiæ Romanæ, qui *liber diurnus* nuncupatur, et in quo legitur : *Sextum concilium generale, cui Agatho Papa per Legatos suos et responsales præfuit.* —Constat 3° ex Zonara qui idem testatur in vita Constantini IV.

V. *Concilio Nicæno secundo, œcumenico septimo, præfuit Hadrianus Papa per Legatos suos, Petrum archipresbyterum et Petrum abbatem.*—Nisi enim isti Legati *præsides* concilii fuissent, vice Hadriani, cum episcopali dignitate carerent, in enumeratione Patrum non positi fuissent primi, atque ante ipsos etiam Patriarchas. Sic nempe habetur initio actionis primæ : « Conveniente sancta et universali synodo..., id est, Petro reverendissimo archipresbytero sanctissimæ Romæ Ecclesiæ, scilicet Apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero, monacho et abbate venerabilis monasterii Sancti Sabæ Romæ siti, retinentibus locum Apostolicæ Sedis... » (Labbe, t. VII, col. 39, edit. Parisiis, 1671.)—Insuper Nicolaus Papa scripsit ad Michaelem imperatorem : *Quasi non et ipsi in Nicæa collectæ synodo nostra fides præsederit.*

VI. *Concilio Constantinopolitano* IV, *œcumenico octavo, præfuit Adrianus secundus per Legatos suos.* — Actione prima, rogati sunt isti Legati exhibere mandatum Papæ pro præsidentia; et jusserunt legi litteras Adriani ad imperatorem Basilium, in quibus sic dicebatur : « Volumus per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari concilium, *cui nostri* quoque *missi præsidentes*, nempe Donatus et Stephanus Episcopi et Marinus diaconus... » Et in actione decima, sic se habet prima subscriptio : *Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Ostiensis locum obtinens Adriani universalis Papæ, huic sanctæ et universali synodo præsidens, omnia quæ superius leguntur promulgavi et manu propria subscripsi.*

Igitur ex octo primis generalibus synodis, sex reperiuntur,

quibus per Legatos suos Romani Pontifices præfuerunt. Et quod duabus aliis similiter non præfuerint, nihil facit ad rem, cum toto tempore quo duravit earum celebratio non fuerint œcumenicæ, et vim œcumenicitatis solummodo obtinuerint per subsecutam Sedis Apostolicæ confirmationem et adhæsionem occidentalis Ecclesiæ, quæ nullatenus in eis duabus synodis repræsentata fuerat.

Objicies 1°. — Imperatores præsedisse.

Respondeo : Quoad honorationem fortasse locum, non quoad auctoritatem et potestatem. (Vide *Theologiam Wirceburgensem*, t. I, p. 253, Parisiis, 1852. — Necnon Bellarminum, *de Conciliis*, l. I, c. XIX.)

Objicies 2°. — Nonnulla documentorum verba, quæ videntur exprimere præsidentiam fuisse penes aliquem orientalem Patriarcham, non penes Legatos Romani Pontificis.

Respondeo : Verba hæc intelligenda non esse de proprie dicto præsidendi officio ac jure (vide Bellarminum et Wirceburgenses citato loco).

§ 7. — **Ad Romanum Pontificem jus pertinet concilium œcumenicum dissolvendi et alio transferendi.**

Id expresse declaravit concilium œcumenicum Lateranense quintum sub Leone X, sessione XI, his verbis : « Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, *transferendorum* ac *dissolvendorum* plenum jus et potestatem habere; nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constat. » Alia multa in probationem addi possent, quæ prætermittimus brevitatis causa, et quia facile possunt ex jam dictis a lectore introspici.

§ 8. — **Quot requirantur Episcopi ad œcumenicitatem.**

« Respondeo (ait Bellarminus, *de Conciliis*, l. I, c. XVII),

non posse istam quæstionem solvi melius, quam ex consuetudine Ecclesiæ, et ex iis conciliis, quæ omnium consensu generalia fuerunt; qualia fuerunt quatuor prima. » Attenta vero potissimum dicta Ecclesiæ praxi, solvenda quæstio est ut sequitur.

Propositio I[a]. — « Ad concilium generale per se necessarium est ut convocatio ipsa generalis sit, id est, ut omnes Episcopi Ecclesiæ, qui pastores sunt et jurisdictionem habent, quoad fieri possit, convocentur » (sunt verba Suaresii, *de fide*, disp. XI, sect. II, n. 2). — « Id enim constat semper fuisse servatum. Adeo ut septima synodus, actione 6, ideo judicaverit concilium Constantinopolitanum contra imagines non fuisse generale, quia non exiit sonus ejus in omnem terram » (Bellarminus, *de Conciliis*, l. 1, c. XVII). — Præterea certum est et omnino tenendum, concilium non esse generale nisi repræsentet universam Ecclesiam. Etenim Martinus V, in concilio Constantiensi, inter reliquas interrogationes quibus suspecti in fide sunt examinandi, eam etiam proponit : *Utrum credant quod quodlibet concilium generale universalem Ecclesiam repræsentet*. Concilium autem non repræsentabit universam Ecclesiam, si convocati fuerint solummodo Episcopi aliquarum regionum, non omnium, id est, si convocatio ipsa non fuerit generalis. Ergo ad œcumenicitatem, generalis sit convocatio necesse est.

« *Dices :* Ergo si talis convocatio aliqua ratione impediatur, non poterit fieri generale concilium ; atque adeo in potestate cujusque tyranni sita erit concilii generalis celebratio. »

« *Respondeo :* Ideo addidisse me, *quoad fieri possit*. Quin etiam necesse non erit convocationem ad aures singulorum pervenire; sed ex intentione vocantis generalem esse, ac per se ad omnes referri. Non oportebit etiam omnes in particulari vocari; sed satis erit Patriarchis vel Primatibus, aut provinciis omnibus, edictum concilii generalis congregandi promulgari » (Suarez, *de fide*, disp. XI, sect. II, n. 2).

Propositio IIª. — *Ut concilium generale sit, necesse non est convenire omnes totius Ecclesiæ Episcopos, imo nec majorem eorum partem.* — Nam certo œcumenica fuit synodus Constantinopolitana prima, utpote una ex illis quatuor quæ unanimi Ecclesiæ catholicæ assensu pro œcumenicis et tanquam quatuor evangelia receptæ sunt. Porro interfuere dumtaxat Episcopi 150. Et extabant tunc in tota Ecclesia plus quam 500 Episcopi. — In altera ex dictis quatuor, scilicet Chalcedonensi, non interfuerunt ex toto occidente nisi soli Romani Pontificis Legati. — In septima ex iis quæ pro generalibus habentur synodo, lecta est, actione tertia, epistola, in qua dicitur nihil derogari authoritati concilii generalis ex absentia trium patriarchalium sedium, ac etiam plurimorum Episcoporum dictis sedibus subjectorum.

Propositio IIIª. — *Ut concilium generale sit, necesse est intervenire per se vel Legatos suos Romanum Pontificem.* — Non enim generale est nisi repræsentet Ecclesiam, prout sequitur ex supradicta definitione Martini V. Sed Ecclesiam non repræsentabit, si non repræsentet Ecclesiæ caput, seu Romanum Pontificem. — Idem colligitur ex Ecclesiæ praxi. Concilia enim quibus Papa per se aut Legatos non interfuit, non recepta sunt tanquam œcumenica, nisi Papa ipse per subsequentem suam acceptationem et confirmationem defectum suppleverit, et æquivalenter seu quoad auctoritatem œcumenica reddiderit.

Propositio IVª. — *Dari potest vera repræsentatio universalis Ecclesiæ, ac proinde concilium œcumenicum esse potest, licet adsint paucissimi ex occidente Episcopi cum multis orientalibus, et vice versa.* — Nam in Nicæno primo interfuere dumtaxat ex Italia presbyteri duo, ex Gallia unus Episcopus, unus item ex Hispania, et unus ex Africa. In concilio quarto soli Legati Pontificis interfuerunt. Vice versa, in Lateranensi sub Innocentio tertio, Lugdunensi sub Gregorio X, Viennensi, et Tridentino, paucissimi ex oriente, ab occidente multi. Inde au-

tem a fortiori colligitur dari posse sufficientem universalis Ecclesiæ repræsentationem, seu concilium esse posse œcumenicum, licet ex *multis etiam provinciis* nulli adsint Episcopi.

Propositio V^a. — *Sufficientis ad œcumenicitatem repræsentationis Ecclesiæ certum argumentum est ipsamet œcumenicitatis declaratio, a concilio cum Papæ assensu, vel etiam a solo Romano Pontifice facta.* — Nam, ut tota secunda tractatus parte probatum fuit, infallibilis est Romanus Pontifex in definiendis quæ ad fidem vel mores pertinent. Porro quod tale concilium sit nec ne œcumenicum, ad fidem et mores pertinet. Nam Papa definiendo tale concilium esse œcumenicum, hoc ipso simul definit veros esse fidei articulos ab illo concilio decretos et omnibus Christi fidelibus incumbere strictam obligationem iis articulis toto corde adhærendi; item obligationem quoad omnes ecclesias disciplinæ a concilio sancitæ parendi. Imo ipsamet propositio, *tale concilium est œcumenicum*, dogmatica est, et versatur circa divinam Ecclesiæ constitutionem. Ergo Papa errare nequit, dum, sive solus, sive cum concilio, œcumenicam declarat aliquam synodum.

Propositio VI^a. — *Licet impossibile sit privatis doctoribus Episcoporum numerum determinare, infra quem deficiat œcumenicitas, in praxi tamen aut nullum intervenit dubium de uniuscujusque concilii œcumenicitate, aut si contingat, facile omnino diluitur.* — 1° Difficile admodum, immo impossibile doctoribus est dictum numerum determinare, cum non innotescat ex Scriptura sacra, neque ex traditione, neque ex ulla Ecclesiæ definitione, neque tandem ex evidentia. Quod sufficiat numerus 150 Episcoporum, scimus ex eo quod certo œcumenica sit secunda synodus, hoc numero constans. Quod vero stare possit, vel non possit, œcumenicitas cum episcopis 100, vel 50, vel 25, quis cum aliquo solido fundamento asserere valeat? — 2° Evanescit autem in praxi difficultas. Nam quodlibet concilium œcumenicum solet quatenus tale sese imponere, assen-

tiente Romano Pontifice. Quo casu ex hoc ipso certa fit ejus œcumenicitas. Unde dubium oriri non posset nisi quoad synodum quæ nihil de sua œcumenicitate declarasset, aut cujus declarationi nonnisi dubie accessisset Romani Pontificis assensus. At tunc etiam facile difficultas solvi potest, cum Sedes Apostolica competens omnino sit ad definiendam ejusmodi causam, majoribus certe ac Romano Pontifici reservatis accensendam.

Objicies: — Sequeretur absurdum. Posset nempe Papa, cum viginti, verbi gratia, Episcopis, declarare generalem synodum celebratam; et tenerentur omnes talem viginti præsulum coadunationem pro œcumenico concilio habere.

Respondeo: Nequit Papa, sive solus, sive cum aliquo Episcoporum cœtu, œcumenicam declarare illam synodum, quæ talis non foret ob præsulum paucitatem, aliave de causa. Obstat quippe infallibilitatis prærogativa.

§ 9. — Episcopi in concilio non sunt meri consiliarii Papæ, sed veri judices

Esse dumtaxat *consiliarios*, propugnarunt nonnulli doctores catholici; quos *non omnino pessimos* fuisse adnotat Melchior Canus (*de locis Theol.* lib. V, cap. v). Quibus autem nixi rationibus, expositum vide apud eumdem Canum, loco citato. Eos errasse, ac omnino tenendum, Episcopos in concilio esse vere ac proprie judices, evincitur argumentis sequentibus :

Argumentum I. — *Ex Scriptura sacra.* — 1° Cum dogma catholicum sit, Beato Petro Romanum Pontificem, apostolis Episcopos successores existere, si testentur sacræ litteræ adunatis cum Petro apostolis collatam a Christo fuisse judicialem ac legislativam potestatem, simul Episcopis in unum cum Romano Pontifice collectis eadem potestas collata censenda erit. Atqui revera, teste sacro textu, apostolis cum Petro et sub Petro coadunatis, contulit Christus dictam judicialem ac legislativam potestatem; his nempe verbis : *Amen dico vobis :*

quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo (Matth., cap. XVIII, v. 18). Ibi sane confertur potestas, non in suggerendis consiliis conclusa, sed *decernendi;* ac proinde judicialis ac legislativa potestas. Et valde attendendus iste textus, utpote in quo adumbratum videtur et institutum a Christo concilium œcumenicum. Enimvero *plena* et *suprema* potestas Petro seorsim tradita, *quæcumque ligaveris*, etc., hæc eadem confertur apostolis simul cum Petro judicantibus et statuentibus, *quæcumque alligaveritis*, etc. Nec ideo instituuntur duæ supremæ potestates, quæ in invicem pugnent. Nam apostolorum potestas nulla est, nisi judicent et statuant cum assensu Petri, id est, ipsomet Petro judicante et statuente. Ut adeo impossibilis sit collisio inter potestatem Petri et potestatem apostolorum, cum hæc posterior non data sit apostolis quatenus a Petro sejunctis, sed dumtaxat quatenus eidem Petro in judicando et statuendo adhærentibus et consentientibus. Cæterum, verificata conditione dictæ cum Petro consensionis, hæc eorum potestas est vere judicialis, legislativa, plena et suprema, prout satis indicant verba, *quæcumque alligaveritis... quæcumque solveritis...* Intelligitur præterea quomodo in generali concilio Episcopi, quamvis sint vere ac proprie judices, non tamen sint *infallibiles*, nisi quatenus Romani Pontificis judicio consentientes. Et ulterius sequitur illud esse verum, infallibile ac supremæ auctoritatis judicium, quod protulerunt Episcopi Sedis Apostolicæ judicio assentientes; etiamsi præsules isti non nisi minorem concilii partem constituerent, et major pars contra Papæ judicium judicasset ac decrevisset; quæ tamen majoris partis a Papa dissensio, in concilio a violentia et fraude libero, nunquam contigit.

2° Episcopos in concilio generali esse vere judices, manifestum etiam facit Scriptura, ubi narrat quomodo celebrata sit Ierosolymis apostolorum synodus (Actuum capite XV). Nam non solus Petrus judicavit; sed, post apostolorum principem,

sententiam suam dixit Jacobus, his verbis : *Propter quod ego judico*, etc. Quæ sane formula, non merum consiliarium, sed proprie dictum judicem denotat. Præterea solutio quæstionis de legalibus tribuitur, non uni Petro, sed omnibus apostolis et senioribus. Nam horum nomine scribitur epistola, in qua dicunt : *Visum est enim Spiritui sancto et nobis*, etc. Definire autem ac statuere, non est merum consilium suggerere.

3° Sanctus Paulus, varias pertransiens civitates, tradebat eis *custodire dogmata quæ erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Ierosolymis* (Actuum cap. XVI, v. 4). *Præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum* (ibid., cap. XV, v. 41). Igitur, teste Paulo, *dogmata decreverant*, et *præcepta ediderant*, non solus Petrus, sed *apostoli et seniores;* qui proinde non meros consiliarios egerant.

Argumentum II. — *Ex perpetua conciliorum praxi.* — Nam Episcopi subscribunt hac formula : *Ego N. definiens* vel *judicans subscripsi*. Quæ formula non modo illegitima sed et insana foret, si meri consiliarii essent. — Patres Nicænæ synodi a Sylvestro postulant, ut quidquid constituerunt confirmet. Ergo constituerant, id est, judices, non meros consiliarios egerant. — Sanctus Leo Magnus, quæ a synodo Chalcedonensi de fide statuta fuerant, ea dicit se probare. Igitur Chalcedonenses Patres *de fide statuerant*, quod sane per solum consiliarii munus fieri nequit. — Eadem Chalcedonensis synodus ad sanctum Leonem scribit : « Decretis tuis nostrum honora *judicium*. » — Sexta generalis synodus, actione 18, sic habet : « Anathematizamus Theodorum, Sergium, Cyrum... His omnibus a sancto hoc concilio constitutis, et per subscriptionem nostræ fortitudinis confirmatis, sancimus ut nullus aliud quicquam de fide satagat. » Sane non consulentis verba hæc, sed judicantis. — Nicæna synodus, capite tertio, hoc utitur loquendi modo : *Interdixit per omnia magna synodus*, etc. — Plena reperies conciliorum acta ejusmodi formulis, quæ judices Episcopos, non meros consiliarios apertissime denotant.

Argumentum III. — *Ex eo quod solis (jure ordinario) Episcopis concilia constent.* — « Alioqui, ait Melchior Canus, non solum Episcopi ad ferendam sententiam synodalem adhiberentur, sed etiam docti theologi, et viri in Ecclesia prudentes; quod inauditum est, contraque formam actorum 15 præscriptam, ubi apostoli tantum cum presbyteris de fidei quæstione judicarunt. Cum igitur Ecclesiæ perpetuo usu soli pastores in concilio sedeant, consequens fit, censores eos esse, non modo consultores. Nam si ut consulerent advocarentur, iis Episcopis qui theologiæ rudes et imperiti essent, nullus esset omnino in concilio locus, quando theologiæ quæstio veniret in dubium » (*de locis Theol.*, lib. V, c. v).

Objicies. —Si omnes Episcopi essent judices, teneretur Pontifex qui concilio præsidet in decretis faciendis sequi majorem partem Episcoporum. At falsum est, cum Damasus irritaverit acta concilii Arminensis, quibus major pars Episcoporum consenserat, ut patet ex epistola Damasi ad Illyrici Episcopos; et Leo quoddam irritaverit Chalcedonensis concilii decretum, cui etiam major pars assenserat.

Respondeo : Teneretur Papa majorem partem sequi, si esset solummodo concilii præses. Sed est simul totius Ecclesiæ, atque ipsius etiam concilii princeps ac supremus pastor. Et vi hujus officii, non tantum potest, sed etiam tenetur concilii Patres qui errant, sive pauci sint, sive multi, corrigere ac in vera fide confirmare. Pro quo ipsi promissa est divinitus assistentia : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua... confirma fratres tuos.* Papa igitur non est sicut præses a Rege constitutus, qui tenetur majorem judicum partem in sententia ferenda sequi; sed est sicut Rex ipse relative ad istud tribunal. Potest nempe rex a majori judicum parte prolatam sententiam rescindere. Proinde, si possibile sit errare in concilio œcumenico majorem Episcoporum partem, non tenebitur Papa errantes sequi, neque hoc sequitur ex eo quod Episcopi sint judices. Dico, *si possibile sit errare majorem Episcoporum*

partem. Nam extra casum violentiæ, ut in Arminensi concilio, vel fraudis, ut in Chalcedonensi quoad decretum a Leone rejectum, nunquam contigit errare majorem patrum numerum. Et forsan id contingere nunquam Christus Dominus permissurus est.

CAPUT II

DE AUCTORITATE CONCILII ŒCUMENICI

Prænotandum de auctoritate concilii relative ad Romanum Pontificem. — Maximi sane momenti quæstio, quomodo sese ad invicem habeant Romani Pontificis ac generalis concilii auctoritas; an Papæ generale concilium, an generali concilio Papa, ex divina Christi institutione, subsit. De quo quid tenendum, tota tertia tractatus parte fuse diximus. Quapropter præsenti capite expendendæ veniunt dumtaxat aliæ quæstiones, quæ de concilii generalis auctoritate moveri solent.

§ 1. — Quid requiratur ex parte Romani Pontificis, ut concilii œcumenici judicium circa fidem aut mores infallibile sit et ad credendum constringens.

Distinguendi sunt varii casus qui contingere possunt. De quo sic habet Suarez (*de fide*, disp. V, sect. vii, n. 5). « *Primus* est, quando in illo (in generali concilio) Papa personaliter adest, ut in Lateranensi sub Innocentio et similibus, et definitio fit consentiente Papa et concilio. *Secundus* est quando Papa adest per Legatos habentes ab ipso instructionem de veritatibus definiendis, et definitio fit a concilio juxta talem instructionem. *Tertius* est quando Legati veniunt sine instructione particulari, sed concilio in generali committitur, ut in his vel illis materiis fidem definiat, et postea definitio fit consentientibus Legatis, et tandem additur confirmatio Pontificis. *Quartus* gradus erit, si definitio facta a concilio et Legatis con-

sideretur antequam confirmetur a Papa. *Quintus* erit, si concilium aliquid definiat repugnantibus Legatis, habentibus instructionem. *Sextus*, si definiat repugnantibus Legatis qui talem instructionem non habent. » Quo prænotato, sit :

Propositio I[a]. — *Definitio concilii œcumenici circa fidem aut mores, præsente personaliter et assentiente Papa, infallibilis est, et obligat ad credendum*[1]. — *Probatur* 1° *Scriptura sacra.* — Apostolis simul cum Petro adunatis dixit Christus : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis... quæcumque solveritis... Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo docete. Qui non crediderit condemnabitur...* Apostolis ergo sic cum Petro adunatis collata est a Christo *plena* docendi ac gubernandi potestas; qua scilicet tenerentur omnes Christi fideles veras firmiter credere ab apostolis editas de fide aut moribus definitiones. Id evincit obvius verborum Christi sensus. Potestatis plenitudinem arguunt verba *quæcumque alligaveritis*, etc., *quæcumque solveritis*, etc.; restrictionem scilicet excludit vox *quæcumque*. Quod autem expresse collata fuerit plena docendi potestas, colligitur ex eo quod jubeantur docere, vi plenæ illius potestatis quam ipse Christus obtinebat in cœlo et in terra : *Data est mihi omnis... euntes ergo docete*. Et tandem apostolorum collegio cum hac plena docendi potestate, collata est infallibilitatis prærogativa, siquidem addit Christus : *Qui non crediderit condemnabitur*. Id est, omnes sub pœna damnationis æternæ obligat ad credendum iis quæ apostolorum collegium credenda docuerit seu definiverit. Quam obligationem Christus imponere non potuisset, si errori obnoxium in docendo apostolorum collegium reliquisset. Alias enim obligatos fideles ad credendum errori Christus voluisset; quod non absonum dumtaxat, sed et impium est. Aliunde autem ex Scrip-

[1] Confer Bellarminum, qui sic thesim ponit : *Fide catholica tenendum est concilia generalia, a Summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide nec in moribus* (De conciliis, lib. II, cap. II). Atque ibi fusius expositam reperies tum e Scriptura sacra, tum ex Patribus probationem.

tura sacra non minus certum est, dictam potestatem et infallibilitatis prærogativam institutam a Christo fuisse, non usque ad apostolorum obitum solummodo duraturam, sed ad eorum successores usque ad finem mundi prorogandam. Id quippe arguunt verba Christi : *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Sane non est nunc Christus cum apostolis super terram docentibus, ligantibus, solventibus. Proinde ne mendax promissio divina dicenda sit, necesse est ut adsit apostolorum successoribus, eis continuans collatam olim apostolis potestatem et prærogativam. Ergo, ab apostolorum successoribus, id est, Episcopis, assentiente Petri successore, id est, Romano Pontifice, edita definitio circa fidem aut mores, erronea esse nequit, et omnes ad credendum obligat. Notet vero lector hanc e Scriptura sacra probationem, quæ infallibiles evincit generalis synodi definitiones, *assentiente Papa* editas, omni prorsus vi carere, quoad definitiones dicto papali assensu carentes. Enimvero quando apostolis contulit Christus dictam infallibiliter docendi seu definiendi potestatem, cum ipsis aderat Petrus. Unde constat quidem datam hanc prærogativam apostolis docentibus simul cum Petro; at minime constat datam eam apostolis, etiam sine Petro, docentibus. Imo contrarium certissime constat. Nam Petro seorsim et personaliter contulit Christus totius Ecclesiæ pascendæ plenam potestatem. Porro plena hæc Petri potestas stare quidem potest cum plena etiam potestate apostolorum, dummodo hæc posterior non possit exerceri nisi simul cum Petro; at nequaquam stare potest cum plena potestate quæ apostolis quatenus a Petro sejunctis competeret, quamque possent apostoli exercere sine Petro, vel etiam invito Petro. Quia tunc voluisset Christus duas *supremas* Ecclesiæ regendæ potestates instituere, quod insanum est et impossibile, nec sine blasphemia de Christo asseri potest. — Ad rem etiam facit caput XV Actuum apostolorum. Fuit enim constans Patrum persuasio Apostolos Ierosolymis synodaliter congregatos

et definientes, typum et formam secuturis conciliis generalibus indidisse. Ab isto proinde concilio ad alia similia valere illationem. Jam vero in ista synodo facta est definitio ab apostolis assentiente Petro, seu potius Petro ante omnes definienti assentientibus. Et adhibita fuit formula *Visum est Spiritui sancto et nobis*, ex qua certum est ipsos habuisse infallibilitatem, eamque sibi tribuisse. Igitur in quolibet simili concilio, id est, quando congregandi Episcopi definient assentiente Romano Pontifice, non deerit Spiritus sancti assistentia; id est, non deerit infallibilitatis prærogativa. — Duos alios scripturæ textus allegatos vide a Suaresio (*de Fide*, disp. V, sect. VII, n. 6).

Probatur 2° ex perpetua Patrum traditione, ac totius Ecclesiæ persuasione. — Ipsamet concilia generalia sibi apertissime tribuunt infallibilitatem, necnon potestatem obligandi ad credendum definitionibus suis; siquidem renuentes credere tanquam hæreticos sub anathemate damnant. Et quamvis dictam infallibilitatem et potestatem non sibi tribuant absque Romani Pontificis approbatione, siquidem per ejusmodi approbationem procurant decreta sua roborari, tamen sibi omnino tribuunt cum assentientem habent Romanum Episcopum. Et pariter Patres generalium conciliorum judicia, quibus non defuit Romani Pontificis assensus, censent infallibilia prorsus et immutabilia. Ita ut etiam sanctus Gregorius Magnus dixerit, quatuor prima generalia concilia, quatuor evangeliorum instar esse recipienda. Et sanctus Augustinus docuit in definitionibus generalium conciliorum audiri totius Ecclesiæ sensum; disputare autem de eo quod universa Ecclesia sentit, *insolentissimæ dementiæ* eidem Augustino visum est. Unde nisi infallibiles revera forent generales synodi, in suis circa fidem et mores definitionibus, assentiente Papa editis, dicendum foret ab octodecim sæculis errasse perpetuo Patres, errasse perpetuo universam Ecclesiam; seu potius ab octodecim sæculis defecisse veram Christi Ecclesiam, utpote contra quam præ-

valuissent inferorum portæ, id est, fundamentalis error de infallibili auctoritate concilii generalis, simul cum successore Petri Romano Pontifice definientis.

Probatur 3° *ratione theologica.* — Constituit Christus Ecclesiam suam ita ut essent in ea pastores et oves, id est, qui docerent et regerent, ac vicissim qui docerentur ac regerentur. Dixit siquidem Petro *pasce oves*, *pasce agnos*, eum pastorem supremum constituens. Dixit et apostolis *euntes docete*, pastores etiam eos constituens, licet sub pastore supremo. In quo fideles pascendi officio, apostolis Episcopi, Petro Romani Pontifices successerunt. Principia illa hic omnino certa supponimus. Ex iis autem aperte sequitur infallibilem esse ac firmiter credendam definitionem, a Papa simul et generali concilio prolatam. Infallibilitatem enim quoad veram dignoscendam et definiendam fidem contulit Christus, vel Romano Pontifici, vel cæterorum Episcoporum concilio, vel conjunctim Papæ et cæterorum præsulum collegio, vel reliquis fidelibus, vel tandem nemini. Porro in tribus primis hypothesibus certo infallibilis erit et credenda definitio a concilio simul et Papa prolata, ut patet. Quarta vero hypothesis absona est siquidem repugnat voluisse Christum reliquos fideles a Papa et Episcopis doceri, et simul infallibilitatem contulisse, non eis qui docere, sed eis qui doceri debent. Imo tunc Episcopi non essent pastores sed oves, utpote qui a populo veram fidem edoceri deberent. Tandem falsum est nullam a Christo in terris relictam fuisse vivam et infallibilem fidei regulam. Alioquin enim fideles incertos reliquisset de vera fide. Non enim per sacram Scripturam certo dignosci potest vera fides, siquidem protestantes, qui hanc unicam fidei regulam sequi profitentur, in sectas quamplurimas, quoad dogma prorsus ab invicem discrepantes, scissi sunt. Neque voluit Christus per immediatas Spiritus sancti revelationes veram fidem a singulis dignosci. Nam de facto non extant ejusmodi revelationes, ut quisque quoad seipsum testari potest. Ergo remanet

infallibilem et obligatoriam fidei definiendæ auctoritatem esse penes concilium generale, assentiente Papa definiens. Non dicimus *non esse nisi penes concilium definiens cum Papa*, quia est etiam in solo Papa definiente sine concilio; prout secunda parte probatum est.

Propositio IIa. — *Concilium generale, in quo Papa non adest per se, sed per Legatos, postquam ab ipso Papa confirmatum est, est infallibilis regula fidei.* — De illa propositione dicit Suarez : « Est assertio de fide, in qua omnes catholici conveniunt » (*de Fide*, disp. V, sect. VII, n. 9). Ad eam probandam valent rationes quibus præcedens probata est. Nam rationes istæ in eo fundantur, quod definitio sit conjunctim definitio concilii et Romani Pontificis. Porro licet Papa non sit personaliter præsens in concilio, sed solum per Legatos, statim ac definitionem confirmando fecit suam, verum fit, illud idem quod definivit concilium a Papa etiam fuisse definitum. Igitur ex omnibus rationibus, in præcedenti propositione adductis, habenda est definitio pro regula fidei. — Extat præterea quoad casum ipsum Ecclesiæ praxis et persuasio. Nam plura e conciliis generalibus, quæ pro fidei regula recepta fuere, celebrata sunt hoc modo. Id est, præfuit Papa per Legatos, et postea confirmavit.

Propositio IIIa. — *Quando Legati habent a Papa instructionem de rebus in particulari definiendis, et concilium juxta instructionem illam definit, definitio statim est infallibilis regula fidei, quin expectanda sit papalis confirmatio.* — « Ita etiam sentiunt communiter catholici, et est res certa; quia illa definitio jam habet consensum totius concilii, et Papæ, non solum per Legatos, sed etiam per seipsum. Ergo habet tantam auctoritatem et certitudinem, sicut definitio concilii generalis, ubi adest præsens Papa. Patet consequentia, quia ut dixi, præsentia vel absentia personalis seu corporalis parum refert, si alias constat de judicio et de consensu Pontificis. Deinde probatur, quia illud concilium, quoad talem definitionem, habet

confirmationem Pontificis quasi anticipatam; ergo non habet minorem auctoritatem quam concilium generale confirmatum » (Suarez, *de Fide*, disp. V, sect. VII, n. 10).

PROPOSITIO IV[a]. — *Absente Papa, et ejus Legatis particularem instructionem non habentibus, definitio concilii, quamvis consentientibus Legatis facta, non est regula fidei ante obtentam a Papa confirmationem.* — Equidem propositio hæc controversiæ apud doctores catholicos obnoxia fuit. At non magni facienda est contradicentium auctoritas. Sunt enim ferme iidem qui erroneam opinionem de concilii supra Papam auctoritate propugnarunt; quique, ne sibi contradicerent, debuerunt in casu posito infallibilem et obligatoriam propugnare definitionem concilii, etsi nondum a Papa confirmatam. Quo prænotato, probatur thesis sequenti conclusionum serie :

1° *Contingere nequit ut omnes vel fere omnes generalis synodi patres, cadant in schisma aut hæresim.* — Nam perire nequit Ecclesia qualem Christus constituit, utpote contra quam, ex divina promissione, non prævalebunt inferorum portæ, et cui nunquam deerit ejusdem Christi Dei assistentia, ut testantur ipsius verba : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Atqui periret Christi Ecclesia si generalis synodi Patres omnes vel fere omnes (idem dic de generalitate Episcoporum dispersorum), in hæresim aut schisma caderent. Nam ita Christus Ecclesiam suam constituit ut constaret pastoribus seu Episcopis pascentibus seu gubernantibus, et ovibus seu cæteris fidelibus, qui pascerentur et regerentur. Insuper Ecclesiam pascentem seu regentem constituit cum forma, non democratica, non aristocratica, sed monarchica. Ei nempe præfecit principem, cum *plena* et *suprema* potestate docendi et gubernandi, non tantum fideles cæteros, sed etiam ipsorum pastores Episcopos. Et huic principi contulit infallibilitatis prærogativam, cum potestate ac officio fratres suos, id est, Episcopos cæteros in fide confirmandi. Insuper voluit Christus Ecclesiam suam regi, non per solum Episcopum to-

tius Ecclesiæ principem, nec per ipsum et paucos alios, sed generaliter per Episcopos tanquam ordinarios pastores. Unde quamvis possit Papa hanc aut illam diœcesim supprimere et in vicariatum apostolicum transmutare, contingere tamen nequit ut omnes aut fere omnes Episcopos, quatenus ordinarios pastores, supprimat, et Sedis Apostolicæ vicarios eis substituat; quia tunc subverteretur et periret Ecclesia qualem Christus instituit. Igitur Ecclesia docens et regens, ex institutione Christi, est corpus morale, constans Romano Episcopo, Petri successore, tanquam capite, et cæteris Episcopis ordinariis populorum pastoribus, tanquam membris. Periret proinde Christi institutio, sive supprimeretur caput, sive membra resecarentur. Quæ omnia principia, certa et alibi probata hic supponimus.

Jamvero, si omnes aut fere omnes generalis synodi patres n schisma aut hæresim caderent, hoc ipso a capite rescinderentur, et desinerent esse membra, nec jam per suam cum capite unionem constituerent corpus illud morale a Christo institutum. Cum ergo corpus illud nunquam desinere possit, nec contingere unquam potest ut omnes aut fere omnes generalis synodi patres in hæresim aut schisma cadant.

2° *Contingere nequit ut omnes vel fere omnes generalis synodi Patres, sibi tribuant auctoritatem absolute ac definitive decernendi de fide ac moribus, absque Romano Pontifice* — Nam id sibi tribuendo, hoc ipso negarent *plenam* et *supremam* Romano Pontifici competere potestatem regiminis quoad universam Ecclesiam. Enim vero *plena* et *suprema* non esset in Papa fidem definiendi et imponendi potestas, si Episcoporum cœtus, sine Papa valeret fidem definire ac definitiones suas obligatorias facere. — Insuper id sibi tribuendo, hoc ipso negarent se in fide confirmandos esse a Papa; immo sibi jus et officium usurparent Papam in fide confirmandi. Nam aliquem fidei articulum absolute ac definitive decernendo sine Papa, æquivalenter decernerent teneri omnes, ac ipsum proinde

Papam, ad credendum huic articulo. — Insuper negarent causas fidei, utpote majores, esse Romano Pontifici reservatas. Quæ tamen reservatio certa est, non tantum ex perpetua Ecclesiæ praxi, seu jure ecclesiastico, sed vi primatus jurisdictionalis, seu jure divino. — Insuper Christus non constituit unam auctoritatem ad docendam et imperandam fidem, et alteram pro reliquo Ecclesiæ regimine; sed uni eidemque auctoritati contulit plenam universalis Ecclesiæ *pascendæ* ac *gubernandæ* potestatem. Igitur dicti Episcopi, sibi usurpando jus definiendæ fidei sine Papa, hoc ipso totius reliqui regiminis plenam potestatem sibi vindicare censendi essent. Id est, æquivalenter suo agendi modo declararent, non penes Papam, sed penes se quatenus a Papa sejunctos, residere primatum jurisdictionis, supremamque ac plenam totius Ecclesiæ docendæ ac regendæ potestatem. — Insuper erroneam illam et hæreticam doctrinam factis suis profitendo, legitimæ Romani Pontificis auctoritati resisterent, ab ipsius obedientia sese subducerent, et sic schismatice agerent. — Igitur sibi jus tribuendo absque Papa definitive decernendi de fide, multipliciter in schisma et hæresim caderent. Sed, ex præcedenti conclusione, contingere nequit ut omnes vel fere omnes generalis synodi Patres in schisma aut hæresim cadant. Ergo neque contingere potest ut sibi jus tribuant, absque Papa definitive ac absolute decernendi de fide aut moribus (confer partis III, sectionis III, capitis I, propositionem VI).

3° *Contingere nequit ut definitio omnium aut fere omnium Patrum concilii sit absoluta seu proprie dicta definitio, antequam a Romano Pontifice approbetur.* — Nam, ex præcedenti conclusione, contingere nequit ut omnes vel fere omnes Patres jus sibi tribuant absque Papa definitive ac absolute decernendi de fide aut moribus. Ergo si decretum aliquod dogmaticum ediderint, omnino certum est eos non intendere ut decretum istud, ante Pontificiam approbationem, sit *definitivum, absolutum*, et ad credendum obligans. Nimirum, ex ipso-

rum intento ac certissima voluntate, hujusmodi definitio est solummodo inchoata, non autem completa, sed per Pontificiam approbationem complenda. Et sicut post quatuor aut quinque patrum subscriptionem alicui decreto dogmatico, nondum dici potest decretum istud esse *concilii definitionem*, ita postquam omnes subscripserunt, nondum est aut dici potest *definitio proprie dicta*, utpote cui deest, per quam solam compleri possit, Romani Pontificis adhæsio.

4° *Approbatio Papæ, sine qua dari nequit definitio proprie dicta seu completa, non continetur æquivalenter in adhæsione Legatorum, nec per eam suppletur.* — Ideo quippe requiritur approbatio Papæ, quia requiritur judicium ejus infallibile. Nam si Papa in approbanda concilii definitione non esset infallibilis, non magis necessaria foret ipsius approbatio quam cujuslibet alterius absentis Episcopi. Jamvero infallibilitatis prærogativa est personalis Romano Pontifici. Inhæret nempe judicio ab ipsamet Pontificis mente elicito. Unde nequit Papa suam infallibilitatis prærogativam delegare (vide supra, parte II, sect. v, cap. v, § 2; — et tractatum *de Curia Romana*, parte III, sect. III, cap. VII). Igitur infallibile Pontificis judicium, seu necessariam ejus approbationem, supplere nequeunt ipsius Legati.

5° *Ergo definitio omnium aut fere omnium generalis synodi Patrum, etiam accedente Legatorum adhæsione, non est regula fidei, ante obtentam Papæ approbationem.* — Nam, ex conclusione 3, absolutum seu definitivum esse nequit fidei decretum ab omnibus seu fere omnibus patribus editum, nisi superveniat Pontificis approbatio. Et ex conclusione 4, hanc approbationem Legati non supplent. Ergo expectanda est hæc approbatio, ut concilii definitio evadat regula fidei.

6° *A fortiori regula fidei non est, ante obtentam Pontificiam approbationem, definitio, a majori Patrum numero, etsi consentientibus Legatis, edita.* — Casum nunc expendimus quo definitio fieret, non *a fere omnibus*, sed *a majori* patrum numero. Qui casus connectitur cum quæstione, an major pars Episco-

porum, sive in concilio sive extra, errare possit in fide, ac sese a Romano Pontifice abscindere. Hanc quæstionem exposui jam supra (parte III, sect. III, cap. I, prop. VI, in scholio), et absque solutione reliqui, eo quod viderem doctores hac in re, non concordare. Dicit, verbi gratia, Melchior Canus : « Non ego admitto ut *totum* concilium cum Legatis errare possit. At errare poterit *major pars* concilii, et erranti illi poterunt Legati subscribere » (*de Locis*, lib. V, cap. V). Contrarium alii tenent, id est, errare non posse majorem partem cum Legatis. Igitur conclusionem probabimus in utraque hypothesi.

Primo, si errare possit major pars cum Legatis, planum fit definitionem majoris partis et Legatorum non esse regulam fidei, ante Pontificiam approbationem.

Secundo, si dicta major pars errare non possit, hoc ipso nec poterit unquam contingere ut præsumat fidem independenter a Papa proprie definire. Nam id præsumendo erraret; siquidem sese caput et rectorem Ecclesiæ prætenderet quoad præcipuum Ecclesiastici regiminis officium, quod in docenda et præscribenda vera fide consistit; nec proinde agnosceret verum Ecclesiæ caput a Christo constitutum, Romanum Pontificem. Igitur definitio a majori parte concilii facta, non poterit unquam esse definitio proprie dicta seu absoluta, sed tantum inchoata et per Pontificium judicium complenda et perficienda. Nec unquam contingere poterit ut major pars velit et prætendat proprie dictam definitionem independenter a Pontificia confirmatione edere. Unde in utraque hypothesi vera conclusio.

7° E præmissa sex conclusionum serie sequitur veram esse propositionem IV^{am}, id est, *absente Papa, et Legatis particularem instructionem non habentibus, definitionem concilii, quamvis consentientibus Legatis factam, non esse regulam fidei ante obtentam a Papa approbationem*. Nam per verba *definitio concilii* intelligenda venit definitio, vel ab omnibus aut fere omnibus patribus, vel a majori eorum numero facta. Porro in neutro

casu est regula fidei, abstrahendo a Pontificis approbatione, ut probatum est.

8° Confirmatur eadem propositio IVª, ex eo quod adversarii non negent neque negare possint, *controverti* hoc ipsum quod sustinent, videlicet concilii definitionem, in dicto casu, ante obtentam a Papa confirmationem *esse regulam fidei.* Nam quod inter doctores catholicos licite controvertitur, hoc ipso non est nec esse potest regula fidei.

Objicies 1°. — Agitur de concilio generali, legitime convocato et præsidentibus Papæ Legatis celebrato. Aliunde autem certum est per generale concilium repræsentari Ecclesiam universam, prout definivit Martinus V in Constantiensi concilio. Porro repugnat fidei regulam non esse definitionem concilii, a quo universalis Ecclesia repræsentatur.

Respondeo. — Distinguo : repugnat definitionem talis concilii non esse regulam fidei, si (per impossibile) definitio ista esset absoluta et proprie dicta, concedo. Si definitio ista non talis proprie sit sed dumtaxat inchoata, et per Pontificiam approbationem complenda, nego. Igitur id objicientes errant ex falso supposito. Supponunt quippe contingere posse ut tale concilium præsumat independenter a Papa *definitive* de fide aut moribus decernere. Hoc autem contingere nullatenus potest, præcise quia tale concilium, id præsumendo, ab Ecclesiæ capite totum reliquum corpus abscinderet, sicque Christi Ecclesiam perimeret; quod ne contingat divinæ promissiones semper obstabunt.

Objicies 2°. — Tale concilium, utpote omni ex parte legitimum, dici potest in Spiritu sancto congregatum, habetque Spiritus sancti assistentiam; ut adeo cum veritate possint Patres definiendo dicere *visum est Spiritui sancto et nobis.* Porro absonum est regulam fidei non esse, id quod Spiritui sancto visum fuit.

Respondeo : Præcise quia sancti Spiritus assistentiam habet tale concilium, contingere non potest ut præsumat, sine

Papæ concursu, fidem supremo ac *definitivo* judicio decernere. Unde hic etiam negatur suppositum, id est, istud factum, quod tale concilium talem definitionem unquam edat.

Propositio Va. — *Generalis concilii definitio, contra instructionem a Papa missam, nunquam esse poterit regula fidei, etiam accedente Legatorum adhæsione.* — Nam per ejusmodi definitionem Patres concilii æquivalenter rejicerent et erroneam declararent contrariam Papæ definitionem, in ipsius instructione contentam. Proinde jam ab ipsis non admitteretur Romani Pontificis *plena* et *suprema* potestas universam Ecclesiam docendi, regendi ac gubernandi; et facto suo in supremam illam potestatem insurgerent, sicque in schisma et hæresim prolaberentur. Nec eos excusaret adhæsio Legatorum. Nam statim ac Legati Papæ contra ejus instructionem agunt, Legati esse desinunt; siquidem non deputantur nisi ut juxta instructionem sese gerant. Igitur, vel definitio supponitur ab *omnibus* vel *fere omnibus* patribus facta, et tunc impossibilis est casus, cum contingere neque at, ut fere omnes Episcopi sic a capite suo per schisma et hæresim sese abscindant; vel supponitur a *majori* dumtaxat *numero* edita, et tunc redit dilemma : vel errare potest *major pars* generalis concilii, vel non. Si prius regula fidei non erit ejus definitio : si posterius, casus contingere nequit, quia erraret sibi jus tribuendo, non tantum fidem *absolute* definiendi, sed etiam definiendi contra Papæ definitionem.

Propositio VIa. — *Definitio concilii, dissentientibus Legatis quin tamen particularem instructionem habeant, non est regula fidei.* — Sequitur a fortiori ex eo quod definitio concilii non sit regula fidei ante obtentam Pontificiam approbationem, *etiamsi Legati consentiant*, ut constat ex propositione IVa.

§ 2. — Quid requiratur ex parte Romani Pontificis ut concilii œcumenici leges disciplinares vim obligandi habeant.

Requiritur etiam ut accesserit Romani Pontificis approba tio. Nam decretum generalis disciplinæ continet implicite de-

finitionem dogmaticam, scilicet id quod præscribitur non esse peccaminosum, sed bonum moraliter et utile. Igitur ratione hujus implicitæ definitionis jam necessaria est Romani Pontificis confirmatio, ex dictis sub præcedenti paragrapho. Præterea jus imperandi Ecclesiæ universæ pertinet quidem ad concilii generalis Patres, simul cum Papa imperantes et disciplinæ decretum sancientes; siquidem apostolis cum Petro adunatis dixit Christus *quodcumque ligaveritis*...; sed nequaquam ad ipsos pertinet quatenus a Papa sejunctos et sine Papa decernentes. Immo nec contingere potest ut omnes vel fere omnes generalis concilii Patres prætendant obligatorium esse, absque Pontificis approbatione, universalis disciplinæ decretum ab ipsis editum; ob rationes sub præcedenti paragrapho deductas relative ad definitiones fidei. Et idem dicendum de *majori parte* concilii, si supponatur eam errare non posse, competentiam suam prætergrediendo. Quod si contingere possit ut *major pars* sibi jus tribuat quo caret, non obligabit ex hoc ipso disciplinare ipsius decretum.

§ 3. — **Quid requiratur ex parte formæ, ut aliquod dictum generalis concilii habendum sit pro definitione fidei, ad credendum obligante.**

Requiritur et sufficit ut formula, qua synodus usa est, clare denotet rem definiri tanquam articulum fidei ab omnibus credendum. *Requiritur*, inquam. Si enim ex verbis concilii, dubium remaneat an revera Patres intendant proprie definire, ac conscientias ad credendum constringere, hoc ipso nec proprie definiunt, nec conscientias ad credendum constringunt. Addidimus, *et sufficit*. Si enim ex evidenti verborum sensu res definita fuerit tanquam credendus fidei articulus, insanum foret id ipsum in dubium revocare. Ulterius vero quæri potest, quænam formulæ certo seu evidenter, et quænam dubie dumtaxat fidei definitionem exprimant? Respondeo :

I. Quam plurimæ sunt formulæ quibus certo ac evidenter

ab œcumenica synodo exprimi potest definitio fidei proprie dicta seu conscientias ad credendum obligans. Solent auctores nonnullas usu frequentiores indigitare, videlicet quinque sequentes :

1° Si concilium ita decernat, ut *hæreticos* pronuntiet qui contrarium asseruerint.

2° Quando dicit synodus : si quis hoc aut illud senserit, anathema sit.

3° Si in eos qui contra tenuerint decernatur excommunicatio ipso facto incurrenda.

4° Si hoc vel illud expresse dicatur *a fidelibus firmiter credendum*, vel *tanquam dogma fidei catholicæ accipiendum*. (Vide Melchiorem Canum, *de locis Theol.*, lib. V, cap. v.)

5° Quando concilii Patres dicunt, *definimus*, et agunt de materia fidei, non de mera disciplina.

Sed præter ejusmodi formulas, excogitari possunt aliæ multæ, quæ non minus certum faciant, licet sub aliis terminis, rem definiri tanquam articulum fidei ab omnibus firmiter credendum [1].

II. Item multæ possibiles sunt formulæ quæ excludant vel dubiam relinquant proprie dictam concilii definitionem, qua nempe conscientiæ ad credendum obstringantur. Verbi gratia, si Patres dicerent *sibi videri*, vel *probabilissimum esse* hoc aut illud ad dogma catholicum pertinere, certo excluderetur proprie dicta definitio, ut patet. Si vero synodus aliquid dogmatis asserat et omnino certum supponat, sed in phrasi incidenti, seu ita ut quod asseritur non sit principale sermonis objectum, tunc merito in dubium revocari potest an

[1] « Quando autem decretum proponatur tanquam de fide, facile cognoscitur ex verbis concilii. Semper enim dicere solent se explicare fidem catholicam ; vel hæreticos habendos qui contrarium sentiunt ; vel (quod est communissimum) dicunt anathema et ab Ecclesia excludunt eos qui contrarium sentiunt » (Bellarminus, de Conciliis, l. II, c. xii). Addit Bellarminus : « Quando autem *nihil horum* dicunt, non est certum rem esse de fide. » Sed intelligendum est, quando nihil horum aut iisdem *aut æquivalentibus* terminis dicunt.

intenderint Patres assertum ejusmodi tanquam articulum ab omnibus credendum definire. Sit in exemplum textus iste concilii œcumenici Lateranensis quinti, sessione undecima : « Solum Romanum Pontificem, *tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem*, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constat. » Si verba hæc, *tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem*, essent definitio fidei, dicendum foret gallicanos theologos, qui secundo e quatuor articulis anni 1682 adhærent, non tantum enormiter errare, sed esse formaliter hæreticos. At quia verba ista non ponuntiavit concilium nisi *incidenter*, dubium remanet an sint proprie dicta fidei definitio. Stante autem hoc dubio formaliter hæretici non sunt supra dicti theologi. Excusari tamen non possunt a *temeritate*, ut ait Bellarminus, agens de theologis Papam concilio subesse contendentibus. Sed neque a *peccato gravi* excusari possunt, nisi ex bona fide; quæ adesse quidem in aliquibus potest, ob imbibitos a teneris errores.

§ 4. — An et quatenus requiratur Patrum concilii diligentia in exquirenda veritate, ad hoc ut eorum definitio sit infallibilis et ad credendum obliget.

Propositio Iª. — *Communis videtur catholicorum doctorum sententia, prærequirens diligentiam, ut sive Papa, sive concilium œcumenicum infallibiliter definiat.* — Saltem quos ego perlegi auctores in hoc conveniunt; et an nonnulli contrarium tenuerint, ignoro. Hujus autem communioris sententiæ præcipua ratio est, quod neque concilio, neque Romano Pontifici promissa sit *inspiratio*, qualem habuerunt Scripturæ sacræ auctores, sed dumtaxat *assistentia*, quæ supponit eum cui datur facere quod in se est. De quo sic Melchior Canus : « Duplex enim discrimen inter sacros auctores, et summum Pontificem patresque concilii reperitur. Unum, quod auctores sacri

ex proxima Dei revelatione vel inspiratione scribunt catholica dogmata. Nec enim egent exteris ad scribendum incitamentis, aut humana ratiocinatione e scripturis aliis argumentantur, disquirunt, colligunt. At concilium et Pontifex humana via incedunt, rationemque sequuntur, atque argumentando verum a falso discernunt. Non enim existimandus est summus Pontifex eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis et Evangelistis inerat, ut proposita una qualibet de fide quæstione protinus dignoscere possit, utra quæstionis pars vera falsave sit. Sed adhibere prius consilium necesse est, et expendere utriusque partis argumenta. Tum deinde sequitur auxilium Dei, quod videlicet opus est, ut summus Pontifex in recta fide contineatur. In conciliis itidem non habent Patres, mox quasi ex auctoritate sententiam absque alia discussione dicere. Sed collationibus et disputationibus, re ante tractata, precibusque primum ad Deum fusis, tum vero quæstio a concilio sine errore finietur, Dei videlicet auxilio atque favore, hominumque diligentia et studio confluentibus » (*de locis Theol.*, l. V, cap. v, pag. 216, edit. Parisiis, 1704). « Postulatur, inquit Suarez, quam diligentiam debeat Pontifex adhibere ad definiendum, quando concilium generale non congregat? Ad quod breviter respondeo, aliquam sine dubio esse necessariam; quia Deus non vult ut homines temere judicent vel gubernent. Quanta vero futura sit, nullo jure, saltem divino, definitum est, sed prudentiæ ipsius Pontificis relinquitur » (*de Fide*, disp. quinta, sect. octava, n. xi).

Propositio II^a. — *Plerique doctores catholici diligens examen prærequirentes, simul tenent contingere non posse ut examen istud omittatur, et ob istam omissionem erronea sit Papæ vel concilii generalis definitio.* — Dicunt scilicet, provisurum Deum ne omittatur ille diligentiæ gradus qui necessarius est ad definitionis infallibilitatem. Cum enim, ut ipsi existimant, erronea esse possit definitio temere seu absque prævio examine facta, nisi provideret Deus ut nunquam temere fiat, jam in-

certi essent omnes articuli fidei per Romanos Pontifices aut generalia concilia definiti, ac in posterum definiendi. Semper enim dici posset, omissum forsan diligens examen, nec de hoc certo constare posset. « Deus, inquit Melchior Canus, suaviter disponit omnia, simulque prospicit et finem et media ad finem necessaria. Si enim promitteret cuiquam æternam vitam, mox conferret etiam illi bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur... Sic omnino, cum Ecclesiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest quominus tribuat Ecclesiæ preces cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conservatur... Itaque præstat semper Pontifex quod in se est, præstatque concilium, cum de fide pronuntiant... Ac si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam et curam exhibuerint, quæ opus erat ut quæstio finiretur, ecquis adeo cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum conciliorumque judicia labefactari?.... Fac enim quidpiam ex necessariis omissum esse. Tum rogo, an fideles his qui de fidei quæstione judicarunt, tantisper parere debeant, dum illorum negligentia innotescat Ecclesiæ. Parere debent, aiunt. Jam igitur eo tempore errantibus judicibus errabit Ecclesia... Quid quod si semel de diligentia judicum dubitamus, novum examen judiciumque semper recens postulabitur, ut de diligentia adhibita vel non adhibita censeatur. Concedamus ergo judicibus a Deo in Ecclesia constitutis nihil eorum deesse posse, quæ ad rectum verumque judicium sunt necessaria » (*de locis Theol.*, l. V, c. v, p. 218 et seq., edit. Parisiis, 1704). Ad rem etiam faciunt hæc Bellarmini verba : « Quidam eorum dicunt Pontificem non posse errare *si mature procedat et consilium audiat aliorum pastorum.* » Et paulo post de istis theologis sic prosequitur : « Non volunt ponere infallibilitatem in consiliariis, sed in solo Pontifice. Verum explicare volunt Pontificem debere facere quod in se est, consulendo viros doctos et peritos rei de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pon-

tifex erraret, si temere definiret, sine dubio prædicti auctores *omnes* responderent, non posse fieri ut Pontifex temere definiat. Qui enim promisit finem, sine dubio promisit et media quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum quando non temere definit, nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam ut ille temere definiat » (*de Romano Pontifice*, l. IV, c. II). Quæ Bellarmini verba æque valent quoad generale concilium, ut patet.

Propositio III[a]. — *Illi doctores (si qui sint) qui simul tenent et prærequiri diligens examen, et contingere posse ut omittatur, sicque concilium œcumenicum vel Papa, erret in definienda fide, omnino deserendi sunt tanquam erronei, ac inducentes in hæresim.* — Etsi adductus modo Bellarmini textus potius innuat non reperiri qui sic sentiant, nolui tamen in præcedenti propositione dicere *omnes doctores catholici*, sed *plerique*. Ne scilicet mihi obtruderetur forsan aliquis, qui Constantiensis concilii tempore aut toto consequente sæculo scripserit, ea scilicet ætate qua magni schismatis difficultas mentes perturbaverat. Nam in hujus ævi scriptis multa occurrunt erronea et etiam hæretica, licet bona fide et a catholicis auctoribus propugnata. De quo tanquam specimen vide quæ de Gersone ac Petro de Alliaco diximus supra (parte II, sect. II, cap. VI, § 3 et 4). Præterea chimericam non fuisse opinionem quam præsenti propositione confutamus denotant hæc Melchioris Cani verba : « Ac sunt etiam qui non obscure dicant, quod si quando Romanus Pontifex in definitione fidei erravit, inde evenire potuit, quod non tantam quantam debebat adhibuit diligentiam, antequam sententiam proferret... Quibus si objicias, Apostolicam Sedem errare in fide non posse, fatentur id quidem, sed aiunt, Sedis Apostolicæ nomen non solum summum Pontificem significare, sed ipsum, ut facit ea quæ ad cathedram spectant : hoc est, quatenus non ex suo, sed ex consilio bonorum virorum et doctorum procedit... Quæ

res ut de conciliis quoque dicatur, subsunt omnino causæ eædem, quas dixi paulo ante » (*de locis Theol.*, lib. V, cap. v, pag. 218, edit. Parisiis, 1704). Quibus prænotatis sic probatur propositio :

Illa opinio erronea est et inducens in hæresim, ex qua evidenter sequitur nullas Romanorum Pontificum et conciliorum œcumenicorum definitiones dogmaticas esse certo veras. Atqui talis est opinio quam confutamus. Nam ex una parte asserit erroneas esse potuisse omnes illas definitiones ex omisso diligenti examine. Aliunde autem certo constare nequit an diligens examen adhibitum fuerit. Non enim rigorose probari potest de unoquoque Romano Pontifice et de singulis conciliorum Patribus, ipsos non temere judicasse. Ergo sequitur *dubie* veras remanere dictas definitiones fidei omnes. Quod consectarium erroneum profecto est ac hæreticum.

Propositio IVª. — *Infallibilitas Papæ necnon concilii œcumenici in definienda fide, non dependet ab ulla humana diligentia seu prævio examine.* — Cum propositio hæc communi doctorum sententiæ adversetur, nolim eam ut certam defendere. Sed quia nutare mihi videtur dictæ communioris sententiæ fundamentum, volui subjicere hujusce opinationis meæ rationes; in hunc utique scopum ut, vel probabilis evadat præsens propositio, vel certe accuratius confutetur et falsa demonstretur.

Nimirum communis sententiæ fundamentum istud est : non promissa fuit *inspiratio* sicut Scripturæ sacræ auctoribus, sed *assistentia*. Non datur autem *assistentia* ut vox ipsa denotat, nisi jam ex se agenti seu facienti quod in se est.

Respondeo : Sufficit illa ipsa quam admittitis *assistentia*, ut Papa et synodus œcumenica immunes ab erroneis fidei definitionibus serventur, etiamsi temere, seu absque prævio diligenti examine definiant. Quod sic probo :

1. Seclusa divina assistentia, fallibiles remanerent Papa et synodus, non tantum si temere, sed etiam si præmissis

diligentissimis curis et indagationibus definirent. Id omnino certum hic supponimus, et ab omnibus catholicis admissum. Et cæteroquin, quoad Papam, verbi gratia, sic breviter ostendi potest : tota humana diligentia quam adhibere potest, in his duobus consistit : ut ipse quæstioni definiendæ accurate studeat, utque doctorum consilium et rationes requirat. Porro non obstante diligenti studio errare potest, præsertim si sit in re theologica parum versatus, ut contingere potest. Consiliarii autem nec ipsi sunt infallibiles; unde ex ipsorum sententia et rationibus nequit Pontifex sibi comparare plenam non errandi certitudinem.

2. Igitur merito supponi potest casus quo, seclusa assistentia divina, concilii Patres (idem dic de Papa), licet præmisso diligentissimo examine, erronee definirent. Sequitur ex modo dictis.

3. In hoc autem casu, debet necessario assistentia divina ita in ipsorum intellectum *aliquo modo* agere, ut ab edenda erronea definitione abstineant. *Aliquo modo*, inquam; id est, vel suggerendo ratiocinium ex quo definitionis, quam jamjam erant edituri, falsitatem percipiant; vel per immediatam illustrationem qua eis veritas pateat.

4. Hæc porro eadem assistentia sufficit ut præmuniantur Patres ab erronea definitione, quando temere, seu absque prævio diligenti examine definiunt. Nam difficilius non est ipsorum intellectui suggerere motivum, quo ad recte definiendum impellantur. Immo facilius quam in præcedenti casu. Nam quando post diligens examen edituri sunt erroneam definitionem, assistentiæ divinæ obstat insuper vis rationum quas peremptorias existimabant, et quibus ad erronee definiendum impellebantur.

Objicies. — Si ita sit, licite poterunt Papa et synodi œcumenicæ Patres sese ad definiendum præparare dormiendo ac ludendo, cum non minus adfutura sit assistentia divina.

Respondeo : Vult Deus ut faciant quod in se est, id est, ut

convenientem diligentiam ad detegendam veritatem adhibeant. Inordinatam quippe fore contrariam agendi rationem ex ipsa lege naturali colligitur. Igitur si secus faciant, certo peccabunt. At nequaquam sequitur non posse nihilominus tunc per assistentiam divinam provideri, ut recte definiant.

5. Nisi dicatur inerrantiæ prærogativam a prævia humana diligentia non pendere, duplex admittendus erit supernaturalis interventus : 1° Ne Patres diligens examen unquam omittant; 2° ne post istud examen erronee definiant. In altera vero sententia, unicus dumtaxat supernaturalis interventus; videlicet ne Patres concilii, vel Papa, sive diligens examen præmiserint, sive omiserint, erroneam emittant fidei definitionem.

Propositio V^a. — *Sive prærequiratur, sive non, diligens examen, nunquam contingere potest ut ex defectu hujus conditionis erronea sit definitio fidei.* — Nam si prærequiratur, semper aderit, nec contingere unquam potest ut omittatur, ex dictis propositione II^a. Si vero non requiratur, ad sensum propositionis quartæ, ejus omissio infallibilitatis prærogativæ obstare non poterit.

Nota. — *De requisita libertate, ut definitio fidei sit infallibilis. Remissive.* — De illa quæstione jam actum est supra (parte II, sect. v, cap. ii, § 2, prop. IV^a).

CAPUT III

DE CELEBRATIS HACTENUS CONCILIIS ŒCUMENICIS (REMISSIVE)

Si aliqualem dumtaxat de celebratis jam conciliis notionem sibi lector comparare cupiat, adeat theologiam Wirceburgensium (*de Principiis theologicis*, disput. II, cap. ii, art. 1, quæres 2°, tomo I, pag. 162, Parisiis, 1852). Si pleniorem et relative ad polemicam cum gallicani systematis propugna-

toribus, adeat eximium opus Alphonsi Muzzarelli, quod inscripsit : *de auctoritate Romani Pontificis in conciliis generalibus* (Gandavi, typis Poelman, sine anni indicatione). Si plenissimam, percurrat conciliorum collectionem, editam a Labbe et Cossarts; vel eamdem a Coleto auctam; vel hanc postremam novis additionibus ditatam a Mansi, qui tamen eam, ad vigesimum usque volumen in folio perductam, absolvere non potuit. Nimis jejuna fuisset notio quam patiuntur præsentis tractatus limites; et ideo prorsus omissam eam maluimus.

FINIS TRACTATUS DE PAPA.

Scripta mea omnia judicio ac correctioni Romani Pontificis subjicio.

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM

TOMI III

PARS IV

ROMANO PONTIFICI VINDICATUR POTESTAS IN REM TEMPORALEM SOCIETATUM CIVILIUM.

PARS V

DE POTESTATE PAPÆ SUPRA CANONES, ET ALIIS EJUS E JURE DIVINO PRÆROGATIVIS:

PARS VI

PARS VII

DE FORMA CANONICA ROMANUM PONTIFICEM ELIGENDI SEU CONSTITUENDI.

PARS VIII

DE CONCILIO ŒCUMENICO.

FINIS INDICIS TOMI TERTII ET ULTIMI.

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOC., VIA DICTA ERFURTH, 1.